

06

A

1002



H

AD

DN

S. S.

ongè

M.



HUGO GROTIUS 33

AD ESAIÆ XLVI. XLVII. XLIX. XLIX. L. LI. LII. CAPP.

ELENCHOMENOS,

DISPUTATIONI PUBLICÆ,

Quæ in Collegio Anti-Grotiano Quinto

Disputatio XII.

publicè Expositus,

P R Æ S I D E

V I R O

*Perl**Maximè Reverendo, Magnifico, Amplissimo & Excellentissimo,*

DN. ABRAHAMO CALOVIO,

S. S. Theol. Doct. Ejusdemq; Professore Publ. Primario

longè Celeberrimo, Ecclesiæ Witteb. Pastore, Electoratus Saxo-

nici Superintendente Generali Vigilantissimo, & Con-

sistorij Ecclesiastici Assessore gravissimo,

Dno. Præceptore, Patrono & Promotore suo

omni observantiæ cultu æternùm

venerando,

RESPONDENTE

M. MICHAELE HENTZSCHELIO,

Witteberg. Saxone.

*In Auditorio Majori**Ad diem 28. Augusti, horis antemeridianis.*

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS BORCKARDI

Anno M DC LXII.

V I R O S.

REVERENDISSIMUM, MAGNIFICOS, NOBILISSIMOS,
AMPLISSIMOS ATQ³ CONSULTISSIMUM

Dn. JACOBUM VVELLERUM,
a Mölsdorff / TOPARCHAM in Karßdorff / &c. DO-
CTOREM THEOLOGUM FAMIGERATISSIMUM, SERENISS. AC
POTENTISS. ELECTORI SAXONIÆ A CONFESSIONIBUS SA-
CRIS, CONSILIIS ECCLESIASTICIS AC CONCI-
ONIBUS AULICIS PRIMARIIS, &c.

DN. JOHANNEM HEINRICUM
Wiland / JCTUM APUD ARGENTORATENSES
CELEBELRIMUM, PALATII CÆSARII COMITEM
ILLUSTREM, LIBERI EQVESTRIS ORDINIS PER INFERI-
OREM ALSATIAM SYNDICUM AC CONSILIA-
RIUM GRAVISSIMUM.

Patronos ac Promotores meos summos
omni animi submissione venerandos

*Hocce Exercitio Academico Octavo in
Academia patriâ adorare*

*Ac animum ad officia, ut debita, ita
sepius optata, prestanda promptissimum
declarare volui*



06 A 1002

M. MICHAEL Henkschel /
Respondens.



I. N. 7.
 ANNOTATA ANTI-GROTIANA
 AD ESAIAM.

AD
 CAPUT XLVI.

Verf. I.

CONFRACTUS EST BEL.

*In Hebraeo: curvavit se Bel. id est, cecidit בעל ביד
 ut habent hic LXX. בבל Babylonis est, qui בעל Phœnicibus,
 Sol scilicet. Jovem hunc vocant Herodotus alijs, non ob
 stellam Jovis, sed quod, sicut Græcis Zeus erat Deorum
 summus, ita Sol Babylonis. Templum ejus longe augustis-
 mum erat Babylone structum à Nabuchodonosoro, ut testa-
 tur Berofus, cujus verba attulimus ad librum III. de veritate
 religionis Christ. Est ejus templi mentio, & apud Hero-
 dotum in Clio, & in Hecatæi fragmento, quod est apud
 Josephum contra Appionem primo. Cecidisse dicitur Belus,
 quia Babyloni auxilio esse non potuit. Et solent captis ur-
 bibus dirui templa, abripi aut destrui simulacra. C. Fla-
 minius in oratione pro M. Fulvio. Signa ablata & cætera fa-
 cta, quæ captis urbibus soleant. Tertullianus Apologetico:
 Tot de Dijs, quot de gentibus triumpho. Et in libro adver-
 sus Nationes: Manent & simulacra captiva. Vide quæ di-
 cta à nobis de jure Belli ac Pacis lib. III. cap. XX.*

CONTRITUS EST NABO.

*Succisus est Nabo, ut hic vertit Chaldeus. Hic est
 Deus alter Babyloniorum, unde nomen habent Nabonassar,*

LIII

Na.

Diff. XII.
 Publica
 Respond.
 M. MICHA-
 EL HEN-
 TZSCHELIO,
 Witteberg.
 Saxone.

M,
 DO.
 S. AC
 SA-

M
 SES
 M

hel /

Nabopolassar, Nabuchodonosor, Nabonidus, & alij Reges Babyloniorum. Fuit autem Ariolus aliquis in Deum consecratus, à Babyloniis paribus de causis ut Apollo ὀλοζίας apud Græcos.

FACTA SUNT SIMULACRA EORUM BESTIIS ET JUMENTIS, ONERA VESTRA GRAVI PONDERE USQUE AD LASSITUDINEM.

Optime veritas: Fuerunt dolori bestiis & jumentis (quæ) gestando onere pressa sunt ad lassitudinem: Est ἄλευσμος. dicit enim gavisura jumenta, quod posthac non futurum sit, ut ista idola portando lassescant. Solebant in thensis idola portari. Sic Romanus quidam dicebat tauros & vitulos optare ne Cæsar rediret.

Non improbanda hæc interpretatio. Nam de Dijs Babyloniorum sermonem esse, res ipsa loquitur, quum exprimantur idola ab illis culta. Sed sub specialibus idolis in genere quæ vis innui, quum ita Scriptura per speciem genus designare consueverit, Interpp. haud male obseruarunt: Ita Oecolampadius, ut & Calvinus qui, sub horum, inquit, idolorum nomine, cetera etiam idola comprehendit, atq; significat omnes gentium superstitiones, & cultus impios subuersum iri, ubi Deus prostratis eorum cultoribus triumphum aget, quia nunc patebit eum esse iustum Ecclesie suæ vindicem. Nam quum falsorum Deorum præsidio superbè gloriarentur Chaldaei, fallacem illam confidentiam retundit Propheta: quia Deus Israelis non modo impiam illam gentem profligabit, sed ejus quoq; Deos ignominiose dejiciet. Propterea iumentorum onera fore dicit: quoniam plaustri imposita alio transferentur, & quidem sine honore projecta, prout aurigis placuerit. Hoc enim valet Deprimi, quia Deos illos, quibus sublimis prius erat statua, raptores in densum acervum compingent. Hoc quidem impletum esse dubium non est, quum Babylonem Persæ & Medi expugnarunt. Translata enim Monarchia, hæc idola, ut pars prædæ, ablata sunt. Sed quamvis hoc prædiceret, longius tamen spectavit Isaias: nempe ad Christi adventum, quo

quo impij cultus summovendi ac delendi erant. Nam stabilitio ejus regno, idola omnia statim concidunt: nec fieri potest, ut cum ejus notione, falsa religio & impij cultus retineantur. Et è Pontificiis Cornelius à Lapide: *Dixerat Deus cap. preced. tempore Christi conterenda esse idola & vers. 23. Mihi curvabitur omne genu.* Hic id ostendit in primariis Chaldaeorum & orbis idolis, sc. Baal, sive Bel, & Nabo nimirum hac à Cyro victore vastanda & diripienda esse; & multo magis hac omniaq; alia, à Christo abolenda esse aureo Evangelij seculo. Quem sequutus est Menochius Jesuita, autor Grotio probatus. B. Brentius etli speciatim explicet de Babyloniorum idolis, generalem tamen sensum non omnino rejicit. Sed de his liberum relinquimus judicium. De Nabone alij monent, quod idem sit cum Merodach, quia, sicut hic dicitur, *confRACTus est Bel, contritus est Nebo*; Ita Jeremias cap. L. *Confusus est Bel, inquit, victus est Merodach*: Quodq; Baltasar filius Nabuchodonosaris & Merodach, & Nabiratus vocatus sit: quia solebant Reges idololatræ à Dijs suis nomen mutuari, uti Papistæ ab Ignatio Lojolâ, & similibus idolis suis. Hieronymus de his ita: *Post vocationem gentium & electionem credentium ex Ismel idola corruisse testatur; Cecidit, cecidit sive confRACTus est Bel, quem Græci Belum, id est, Saturnum vocant.* Cujus tanta fuit apud veteres religio, ut ei non solum humanas hostias captivorum, ignobiliumq; mortalium sed & suos liberos immolarent. Nabo autem & ipsum idolum est, quod interpretatur Prophetia & divinatio, quam post Evangelij veritatem in toto orbe conticuisse significat, sive juxta LXX. *δαγών* qui tamen in Hebraico non habetur. Et est idolum Ascalonis, Gaza, & reliquarum urbium Philistim. Et à speciali transit ad generale: Facta sunt simulacra eorum bestijs & jumentis.

Vers. II.

VOCANS AB ORIENTE AVEM.

E Perside vocans Aquilam, id est, Cyrum, cui natus erat Aquilinus, ut Plutarchus notat, Aristoteles, in Physiognomoniciis: *οἱ γρυπὴν ἔχοντες (τὴν ἕνα) καὶ τὰ μετώπια διηρδρωμένην μεγαλόψυχοι ἀναφέρονται ἐπὶ τοῖς αὐτοῖς.*

LIII 2

Alij

Alij *וַי* *Avem*, vel *turbam* potius & *collectionem avium rapacium* intelligunt, quæ celeriter & cum impetu in prædam involant, vel *Cyrum* ita ob celeritatem vocari putant, quem etiam in vexillo *aquilam auream alis expansis* gessisse *Xenophon* lib. VII. *Cyri pædiæ* autor est. Unde hoc signo deinceps Reges *Perfarum*, & postea *Romani* usi sunt. Vocatur & *Nabuchodonosor aquila grandis & involans in Judæos, aliasq; gentes, Jerem. XLIX. 10. Ezech. XVII. 3.* Nam ille etiam *naso aquilino* præditus erat. *Hieronymus* Christum hic designari putat. Sed pleriq; omnes *Interpp de Cyro*, & rectius interpretantur.

Verf. 12.

PROPE FECI JUSTITIAM MEAM.

Propè adest tempus quo fidem meam implebo.

ET IN ISRAEL GLORIAM MEAM.

Liberationem ejus efficiam mihi gloriosissimam.

Hæc de *Christo* intelligunt *Vatablus, Brentius, Osiander, Pappus*, mysticè ad Christum pertinere asserit cum *Hieronymo Cornel. à Lap.* quod innuunt etiam jam *Oecolampadius & Paraphrasta Belgici.* Nomina certe illa *JUSTITIA MEA, SALUS MEA, GLORIA MEA* Christum sonant. Neq; alienum est à more *Prophete* restitutionem populi, & libertatem & adventum *Messie* conjungi: siquidem fidelibus externa liberatio sine *Messie* adventu nihil profuisset aut exiguum solatium præbuisset. *Dn. D. Pappus* manifestissimum esse ait hæc de *Messia* intelligi oportere. *Extra Christum enim, qui nobis ab eterno Patre sapientia factus est, & justitia, & sanctificatio, nemini potest salus obtingere. Et datur hæc ipsa salus IN SION tantum & ISRAELI tantum: non tamen in terrena Sione, neq; carnali Israeli, sed in illa, quæ sursum est libera Jerusalem, quæ est mater nostra Ecclesia & Israeli filio promissionis, id est, credentibus. Ideoq; ab hac justitiâ, salute, & gloriâ procul ab sunt pravariatores, & fortes, & robusti corde procul absunt, qui cum suam indignitatem non agnoscant, & justitiam propriam contentur constituere, justo Dei judicio a justitiâ fidei excidunt.* *Zvinglius* ipse id agnovit: *En, inquit, quoties per occasionem licet, vaticinium de Christo oggerit. Neq; abnu-*

CAPUT XLV.

abnuunt *Paraphraste Vinarienses* de verbis posterioribus: *Salus mea non morabitur*; etsi priora, *Prope feci justitiam meam* adhuc ad liberationem corporalem referant. Sed illa separari non possunt, & de eodem subjecto loquuntur, ideoq; rectius à cæteris nostris Interpp. omnia de *Christo* intelliguntur: coherent enim omnia *Prope feci JUSTITIAM MEAM, non elongabitur, ET SALUS MEA non morabitur. DABO IN SION SALUTEM, & in Israel GLORIAM MEAM.* Augustiora hæc sunt quam ut ad typum & liberationem corporalem abripi possint. Deniq; agnoscit Grotius ipse hæc de Messia dicta esse. Sic enim habet ad *Luc. II. 30. Apud Esaiam XLVI. 13. Deus loquens de Messia similiter ait תְּשׁוּעָתִי Salus mea, id est, à me, & apud eundem XLIX. 6. תְּשׁוּעָתִי sensu eodem.*

AD
CAPUT XLVII.

Verf. 2.

DE NUDA TURPITUDINEM TUAM.

In Hebræo: Detege, i. e. rade capillos tuos. Etiam illud in more lugentibus.

Sanctius è callatione *Es. III. 17. Decalvabit Dominus verticem filiorum Sion* explicat. *Decalvaberis, itaq; apparebit tua turpitudine, puta calvitium.* Vatablus reddit: *Dissolve cincinnos tuos. Forerius explicat: Fasciam tuam; ut sc. fascia ablata; turpiter diffluant, ut fit in ancillis captivis, vel rusticanis aut lugentibus.*

Verf. 3.

ET NON RESISTET MIHI HOMO.

Et non suscipiam deprecatorem quenquam. Nam וְיָדָע est & deprecari & deprecantes admittere.

Avenarius reddit, *non impingam in te, ut homo. Oecolampadius; Et non occurram sicut homo.* Sic etiam Vatablus addita è *ἔνγυνησι, non humaniter, sed crudeliter ut Leo.* Quem sensum etiam exprimere Tigurinos, *Piscator. Anglic. Hispan. Genev. Ital. versionem Amama* observavit. Grotio præiverat Zvinglius in sua translatione, & explanatione. *Utramq; il-*

Iam explicationem retulit *Calvinus*, *communio* tamen illam *melius fluere*, quod ad verborum contextum attinet, iudicavit. Alteram autem *aliquid coacti* habere in constructione credidit. Sic enim *וַיִּבֶן* passivè accipiendum esset, quod vix tolerari posset. Exemplo itaq; quodam ostendere debuisset *Grotius* *וַיִּבֶן* esse *deprecantes admittere*. Utraq; expositio eodem redit, *Dominum Chaldaeos deleturum, nec ullum omnino misericordia locum fore.*

Vers. 10.

SAPIENTIA TUA ET SCIENTIA TUA HÆC DECEPIT TE.

Fiducia in peritia Astrologica divinationis, que tanta in e agente, ut omnes ejus professionis Chaldaei dicti fuerint. Scientia Chaldaeorum artis apud Tacitum Annalium, VI. Vid. & Gellium 1.9. L. Nemo C. de Maleficis.

Non apparet ratio cur ad *Astrologicas Scripturas* hæc restringantur, etsi sensus idem se *Corn. & Forerio* probarit: *Dictum generale est, sapientiam humanam & scientiam multiplicem eos qui illa nituntur, & omnia eventura se pulcre prospicere, ac prudentiâ sua moderari, atq; gubernare posse confidunt, à Deo confundi. Quod hic Chaldæis prædicit. De incantatoribus, Magis, Auguribus caeli & similibus v. 12. & seqq. denuò agitur.*

AD CAPUT XLIIIX.

Vers. 1.

ET DE AQUIS JUDÆ EXISTIS.

Hebraei semen & roris & aque vocabulis designant *מֵי אֲרָבִים פְּאִיבָה* dixit *Palladas* in *Epigrammate*: *Rabini טַפְּהֵסְרוּתָהּ.*

ET DEI ISRAEL RECORDAMINI.

Mentionem ejus facitis.

NON IN VERITATE NEQUE IN JUSTITIA.

Non animo sincero. Eos alloquitur qui Dei cultum cum Idolorum cultu erant permixturi.

Re.

Rectius & verecundius alij Metaphoram à fontibus & rivis explicant. Quia Jacob fuit quasi fons, ex quo duodecim rivi: Judæi a. ex nobilissimo rivo puta ex Juda descenderunt. Chald. reddidit, *qui de stirpe Juda existis.*

Vers. 8.

TRANSGRESSOREM EX UTERO:

Hyperbole, quoad Ps. LI. 7.

Adeunda illic etiam nostra Annotata, quibus Grotium Socinianizantem confutavimus: & hyperbolen illam fictitiam etiam ex ipsis Judæorum scriptis profligavimus. *Transgressorem ex utero* hic vocat, ut ad principium & fontem omnis peccati revocet, quia inde ab utero propullularit in infelices fructus originale malum; quod ipsi nullatenus coercuere aut represserunt.

Vers. 16. ET NUNC DOMINUS MISIT ME ET SPIRITUS EJUS.

Id est, Dominus per Spiritum hæc mihi imperavit.

Falso tribuuntur hæc verba Prophetæ; sunt enim verba Filij Dei. Quod patet facile: Is qui loquitur, non homo, sed Deus, (1) quia testatur *se ea prædixisse longe, quæ futura erant*, non more Prophetarum, qui illa ex divina revelatione habent, sed *Dei* ex infallibili futurorum prævisione. (2) Eadem verba usurpat, quæ Deus, Christus nempe Salvator usurpavit, cum se ab idolis discriminaret *c. XLV. 19. Non in abscondito locutus sum.* Ideoq; colligitur hic etiam Deum loqui. (3) Quæ verba sua fecit Christus, ut testaretur, se esse illum, qui olim per Prophetas futura prædixit, & voluntatem Dei palam annunciavit, utpote qui in diebus carnis, sive eundem morem adhuc servat. *Non in abscondito locutus sum Job. XII. 20.* (4) Illa respicere etiam legis promulgationem publicam ac solemnem pleriq; Interpp observant. Quæ Judæorum quoq; interpretatio est, in libro Mechilta super Ex. 19. 2. Quod nempe Dominus semper voluntatem suam palam manifestavit, legem promulgando, futura prænunciando &c. *A principio non locutus sum*

*in abscondito, ex quo me revelare incepti. Quomodo ergo id Esaię tribui potest? (5) Quid multis, verba antecedentia satis docent, non Esaiam, sed Dominum hęc loqui: Ego, ego loquutus sum & vocavi eum, adduxi eum & directę est via ejus v. 15. Quę verba Dei ipsius esse nemo inficiari potest. At qui hęc loquitur, idem illo versu immediate sequenti pergit. Accedite ad me, & audite hoc, non à principio in abscondito loquutus sum, ex tempore antequam fieret, ibi eram: & nunc Dominus Deus misit me, & Spiritus ejus: Nihil ergo certius est quam Dominum ipsum esse, qui testatur se missum esse à Domino & Spiritu ejus (6) Idem porro vers. 17. loquens introducit, ut Dominus **Ⲛⲓ** Redemptor Sanctus Israel, docens utilia qui characteres sunt Filij Dei Redemptoris, sancti Sanctorum & Doctoris nostri unici *Es. XLIII. Dan. IX. Matth. XXIII.* (7.) Habemus hic evidens testimonium S. S. Trinitatis, DOMINUM MISSUM, Christum Redemptorem: DOMINUM MITTENTEM DEUM PATREM, cui passim missio Filij tribuitur; & Spiritum ejus, hoc est Spiritum S. à quo missus est Christus secundum humanam naturam, ut explicat *Anselmus* lib. de Process. S. S. & *Thomas* p. 1. q. XXXIV. a. 8. Ideo magno consensu testimonium hoc S. S. Trinitatis urgent contra *Arianos* & *Judeos*, *Patres Origenes, Eusebius, Athanasias, Basilus M. Nyssenus, Chrysost;* *Procopius, Hieronymus, Augustinus, & alij.* *Hieronymus* hęc ita *ⲱⲁⲓⲞⲣⲁⲗⲉⲣ.* Et audite hęc, quę à principio in abscondito sum locutus, hoc est per anigmata & mysteria prophetarum: quod cunctis retro generationibus fuerit ignoratum. Quando fiebant omnia à Patre, ipse erat cum eo: cui ad gaudebat, qui etiam nunc dicit: Ego qui semper eram cum Patre & in Patre, & sine Patre nunquam eram, etiam nunc loquor & juxta fragilitatem carnis assumptę dico, quod Dominus Deus misit me, & Spiritus ejus: Breviq; versiculo Trinitatis nobis ostendit Sacramentum: Quę *Oecolampadius*, notis *ⲟⲩⲟⲩⲛⲟⲥ*, *Judæis* hic opposuit, ea non immerito *Calvino* *Judaizanti*, & qui eundem lequuntur opponimus, ideoq; locum ejus adscribimus. *Approximate ad me. Hebræi* hic subito personam *Propheta loquentis* introdu-*

cunt,

CAPUT XLIX.

unt, nulla urgente necessitate, abhorrentes nimirum à Sancto Trinitatis mysterio, quod non accipiunt, & hic satis perspicuè traditur. At nos cum Catholicis Christum loquentem dicimus, què & supra hortatus est, ut ipsum audiremus. Non loquutus sum ab initio. Interrogative legas, quasi dicat: Nonne hoc per os Prophetarum prædixi manifeste Nec mirum, ego enim qui loquutus sum, aderam eo tempore quo illa prædestinavit Deus Proverb. 8 Quando appendebat fundamenta terræ, ego cum eo eram illa componens. Non illa sine me previdit Pater, cui omne iudicium dedit, & ad diruendum Babylonem misit. Quid enim est, quod non operatur Pater per Filium in Spiritu sancto? Et vide hic, quomodo Filius mittatur, & Spiritus Patris in hoc cooperetur. Et attende, quod Spiritus tantum dicitur Spiritus Patris, nimirum per Filium. Pleriq; Judæorum per Spiritum intelligunt Angelum vel robur DEI: per missum autem, Prophetam: Atqui coherentia illorum expositioni repugnat. Hęc Oecolampadius.

AD

CAPUT XLIX.

DOMINUS AB UTERO VOCAVIT ME.

Loquitur Esaias. Paria Deus de Jeremia 1. 5. Apostolus Paulus de se Galat. 1. 15. Hebræi illa loca interpretantur de egregia temperatura cerebri, quâ Deus à primo ortu donare solet eos, quos Prophetia preparat.

Missis affaniis Ebræorum, de personâ hæc loquente sollicitos nos esse oportet. Grotius Prophetam intelligit cum Judæis. Sed Christiani pleriq; omnes agnoscunt hæc Christum loqui, non Prophetam. Calvinus ipse, qui lubenter in talibus Judaizat, fatetur hæc de Christo intelligenda esse, imo fatentur id ipsimet Judæi, quibus aliquid sanæ mentis est, notante Calvino, Non ergo hic quicquã sanæ mentis fuit Zvinglio, qui etsi observavit ultimæ parti Esaiæ, quæ sic incipit, Oecolampadium Messie nomen dedisse, & in ea ita universa perscripta esse, quæ per ipsum impleta perscripta sunt, ut & crucis Socij non taceantur, hoc versu tamen ait, *videri Prophetam de se loqui; in quo*

Mmmm

vero

vero sibi non constat Zvinglius. Nam ad v. 3. *in quo glorificatur*, ita commentatus est: *Christus ex Israel est secundum carnem. Per hunc Deus glorificatus est, quum per ipsum totus orbis Deo subjugatus est.* Sed quum nihili faciat Grotius Christianæ Ecclesiæ consensum, cui non raro Judaica commenta præfert, argumentis convincendus est, quæ demonstrent Christum hic loqui.

Observandum ergò *primum objectum*, ad quod dirigitur hæc compellatio, non esse *Judeos*, sed *gentes*, quas ad Ecclesiam vocatas vult Dominus, quod è verbis textus probat Hieronymus. *Audite insule & attendite populi de longe.* Transit, inquit, *ad Ecclesias de gentibus congregatas; & eis sub insularum nomine loquitur: quæ ita persecutorum insidiis, quasi maris fluctibus patent, & ex omni parte saviente naufragio tunduntur potius quam moventur; Ac nequis putet violentam esse expositionem nostram, & non ad gentes pertinere quod dicitur: Sed ad Synagogas populi Judæorum: sequitur: & attendite populi sive gentes de longe: hoc est, ab extremis finibus terræ.* Deinde cum persona hæc loquens testetur: *Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei*, quomodo id Esaiaë convenit, hunc n. neq; vocatum esse ab utero, neq; nomen accepisse uspiam Scriptura docet: at Christus vocatus est, nomenq; accepit, quum adhuc in utero natus esset *Luc. I. 31. Matth. 1. 21.* Tertio quod dicit *os suum positum quasi gladium*, cui rectius convenit quam Christo, de *cujus ore gladius acutus prodit Ap. I. 16. quiq; Spiritu oris sui impium interficit Es. XI. 2. Thess. II.* Quarto cum ait, *posuit me sicut sagittam electam*, quisnam hoc elogio dignior est, quam Christus, qui *de multis sagittis & filiis plurimis una sagitta electa, & filius unigenitus est*, ut Hieronymus ait. Quinto quomodo Deus de Esaia diceret: *Servus meus es tu Israel, in te gloriabor.* Non enim in Esaia aut ullo alio Propheta gloriatur Dominus, sed unicè *in Christo*, quem glorificat, & per quem glorificatur ipse *Job. XVII.* De quo testatus est de coelo, quod in ipso gloriatur *Matth. III.* *Servus is*, inquit Hieronymus, *quia cum in forma Dei esset, formam servi dignatus est assumere: Et Israel, quia natus est de semine Judæorum*

rum. Quodq; de nullo alio Servorum intelligi potest, jungitur: Quia in te gloriabor. Grotius vocem *Israel* in casu obliquo accipit *SERVUS MEUS ES TU ISRAEL* Id est, *Israeli, Israelis bono.* Id eminentius Christo convenire nemo dubitat. Proinde ita Osiander: *Servus meus es tu missus in salutem populi mei Israel.* Quia in voce *servus meus* accentus Regius est, distinctionem faciens, ideo *Israel* ad ea, quæ sequuntur, refertur ab *Amama*, hoc modo, *Israel (spirituali sensu, hoc est, Ecclesia cætus est ille,) in quo ego per te gloriabor.* Sic etiam Piscator, Junius, Ital. Genev. versio. sed reliqua *in te gloriabor*, nimis frigide interpretatur: *per te gloriam assequar, per tua prædicta Rectius itaq; Osiander: Tu non modo nomen meum illustre & gloriosum reddes tuis miraculis, sed etiam docendo homines de immensa mea misericordia nomen meum celebre efficies.* Hæc enim summa est gloria Dei, si ipsius bonitas paterna, clementia & misericordia prædicentur. Neq; quenquam movere potest, quod vers. 4. habetur: *in vacuum laboravi sine causa, & vanè fortitudinem meam consumsi;* nam non sunt hæc verba desperantis de fructu laborum, sed dolentis de pertinacia Judæorum, quod eorum respectu maximam partem in vanum laborarit, quia paucissimi ex Judæis crediderunt in ipsum *Job. I. ii.* Sexto testatur hæc persona, *se ex utero formatum esse, ut reducat populum Jacob,* quia Christus missus est *ad oves perditas Israel Matth. XV. ut Filios Dei dispersos colligeret Job. XIII.* ideo vocatur *minister circumcisionis,* quod primo Judæis missus sit. *Rom. XV.* Septimò testatur SS. eum qui hic loquitur glorificatum esse in oculis Domini, quod Christo maximè convenit *Joh. XII. & XVII.* Octavo is qui hic loquitur, ille est, cui dixit Deus, *parum est, ut sis mihi servus ad suscitandas seu restaurandas tribus Jacob, & ad facies reliquas vel desolationes Israel convertendas.* Item *dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usq; ad extremum terre:* Hæc vero cui dicta sunt, præterquam unī Christo! Nam is, qui ad restaurandas tribus Jacob, ad convertendas reliquias Israel electus est, ille ordinatus est in lucem gentium, ille est salus universi generis humani, usq; ad

ANNOTATA AD ESAIAM

extremum terræ. Quæ de Christo intelligenda esse, luce clarius constat. Ideo fatentur id Judei in Beresehith Rabba ad Gen. XLI. 41. notante *Raimundo Martino* in Pug. Fid. p. II. c. II. p. 557. Quid quod *Nonò* interpretem hic S. S. habeamus in N. T. omni exceptione superiorem, quum Act. XIII. 47. 51. Apostolus hæc disertè de Christo & vocatione gentium in N. T. exponat. Quò magis admirandum imò detestandum est, quod hæc quoque ad Prophetam detorqueat Grotius, ut paulo post videbimus. Accedit *Decimo* quod v. 8. in tempore placito ex *audi te* ibidem de Christo ac tempore N. T. explicatum à S. Apostolo 2. Cor. VII. Et quod *undecimo* ea quæ tribuuntur ei *ἐνεργήματα* de vinculis liberandis, & his qui in tenebris sedent illuminandis, &c. v. 9. Christo propria sint, non Esaiæ. *Duodecimo*, quod illa, non esurient, neque sitient, de Christi explicentur beneficijs *Ap. VII.* Deniq; *decimo tertio*, ut alia plura taceam, quæ juxta cum istis è seqq. vindicijs sese aperitat de *vocatione gentium* universali sub N. T. futurâ v. 12. perquam luculentâ Prophetia habeatur: Quæ omnia docent, non sine maximâ *σρεβλότητι* hæc ad Esaiam detorqueri, quæ de Christo dicta sunt.

Vers. 5.

ET ISRAEL NON CONGREGABITUR, GLORIOSUS ERO IN OCULIS DOMINI.

Puto veram esse lectionem scriptam in textu \aleph , quam sequitur Latinus, non illam in margine η . Sensus est: Etiam si Israel ad mea monita nolit converti: Ego tamen Deo placebo: qui scit me in officio non fuisse cessatorem.

Lectionem illam, quæ in textu occurrit, faciles admittimus. Juvat tamen Hieronymi *ἐπιχειρῶν*, qui præfert marginalem ad-jicere. *Et Israel ei congregabitur: hoc est, Deo, cum verbum Hebraicum \aleph in hoc loco non scribatur per η & \aleph , quod si esset, significaret, ei vel illi, sed per η & \aleph quod propriè non sonat. Quia igitur non est reductus Jacob ad Deum, nec Israel congregatus, propterea Filius loquitur illis non credentibus. Glorificatus sum in oculis Domini, In me etiam omnis mundus credidit, & Deo*

me-

meus factus est fortitudo mea, qui & consolatus est me tristem super abjectionem populi mei: & dixit mihi: Parum est, si servias mihi ad suscitandas tribus Jacob, quæ suo vitio corruerunt: & ad feces sive reliquias Israel convertendas. Hoc enim verbum Hebraicum ירצו sonat. Alij conciliant utramq; lectionem h. m. Et Israel ad eum congregabitur. Item: & Israel non auferatur, id est, ne Israelitæ omnes pereant.

Verf. 6.

PARUM EST.

Id est. Non sufficit mihi, ut Hebraeis prædices.

ET FOECES ISRAEL CONVERTENDAS.

Reliquias populi.

ECCE DEDITE IN LUCEM GENTIUM.

Vt illos quoq; ab Idolis avertas, & sic plurimos serves. Vid. sup. cap. XIII. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. XX. XXI. XXII. XXXIII. XXXIV. XLI. XLV. XLVI.

Hic aperte jam se opponit Grotius interpretationi SS. Act. XIII. 47. Quæ enim paulus de præconio Evangelij universali post exhibitum Christum intelligit, Grotius de præconio Esaiaæ interpretatur. Quæ Paulus de Christo esse docet, quod ipse sit lux gentium, & salus Domini usq; ad extremum terræ, ratione meriti & efficacia, ea Grotius de Esaiaæ explicat: quem vero aut lucem gentium fuisse aut salutem Domini usq; ad extremum terræ Scripturæ palam repugnat. Nam quod adversus gentes quasdam vaticinatus sit, id non facit, ut Esaiaæ lux habeatur gentium, nedum ut SALUS DOMINI usq; ad extremum terræ sit. Quæ nomina soli Messiaæ propria sunt, & ἀνοινώντα. Ideo etiam à Simeone Luc. III. Nomen illud utrumq; LUX GENTIUM & σωτήριον vel SALUTARE Domini Christo appropriatum est; Et quum Rabbinii ipsi id de Messiaâ intelligendum esse agnoscant, annon stupenda cœcitas est, Grotium id non videre, cui lux illa affulsit in N. T. cum visitavit nos oriens ex alto Luc. I. & Christus reapse effectus est gentium Lux, & salus Domini per universum orbem! Sed vidit id omnino Grotius,

Mmmm 3

an-

antequam adhuc animo suo imperasset glosas Judaicas per-
 versissimas, siquidem in Annot. ad Luc. II. 30. professus sit hunc
 locum non de Esaia, sed de *Messia* agere: Σωτήριον inquit so-
 lent interdum ponere LXX ubi in Ebraeo est יהושי ut Ps. XCVIII.
 3. εἰδοσαν πάντα τὰ πέρατα τῆς γῆς τὸ σωτήριον τοῦ θεοῦ ἡμῶν,
 & I. Sam. II. 1. alibi vertunt σωτηρίαν, ut Gen. XLIX. 18. Esaia LII.
 10. ubi eadem illa quae in dicto psalmo sententia est: ut & Lucas su-
 pra dixit κέρας σωτηρίας. Est ergo hic abstractum pro concreto
 positum, σωτήριον sive σωτηρίαν ἀντὶ τοῦ σωτήρος, sicut & Lati-
 nè dicimus, tu mea es salus. Apud Esaia XLVI. 13. Deus loquens de
 Messia similiter ait יהושי salus mea, id est, à me, & apud eun-
 dem XLIX. 6. יהושי sensu eodem.

Verf. 7.

AD CONTEMPTIBILEM ANIMAM.

*Ad contemptorem animae suae. Esaia qui cum sum-
 mo vitæ suae periculo Dei dicta enunciavit, ne maximis qui-
 dem parcens, ut Sobna.*

AD ABOMINATAM GENTEM.

*Ad abominatum gentibus, ob perpetuam idololatriæ
 reprehensionem.*

AD SERVUM DOMINORUM.

Subiectum Regibus Judæis.

Exponunt hæc nonnulli de populo Judaico. *Ad contempti-
 bilem animam*, id est, *ad viles Judæos* qui jam quasi servi con-
 temptibiles sunt. Ut apud Hieronymum quidam interpretan-
 tur: & Thomas explicat, referens hæc ad Judæos Babylone li-
 beratos. Alij rectius de *Ecclesia N. T.* uti Brentius & Osiander.
 Sed Grotius ad *Esaia* ista rapit, de quo in antecedentibus aut
 consequentibus nulla mentio. Quum verò antecedentia de
 Christo clara sint, de quo etiam consequentia agere ostende-
 tur, non pauci hæc de eodem intellexerunt, quia Christus verè
 contemptus fuit in diebus carnis suæ, *vermis & non homo, oppro-
 brium hominum, & abjectio plebis* Ps. XXII. *despectus & novissimus
 virorum* Es. LIII. 3. 4. Quæ explicatio est Tertulliani, Eusebij, Cy-
 ril-

rilli, Procopij, Hieronymi, Leonis, Castrij, Fererij, Sanctij, Cornel. à Lapide, ut & Vatabli, nec non Tigurinorum, Junij ac Tremellij, Piscatoris & aliorum. Quo sensu non reddendum ABO-MINATAM GENTEM sed ABOMINATUM GENTIBUS. Sic Hieronymus: *Pro eo, quod nos diximus: ad contemptibilem animam, ad abominatam gentem, ad servum Dominorum: Theodotio transtulit: ei, qui despicit animam, qui abominationi est genti, qui servus est principum: quod manifeste Christi personae convenit. Ipse enim bonus pastor, posuit animam suam pro ovibus suis: & contempsit eam: qui abominationi est genti Judaeorum: cui ter per singulos dies sub nomine Nazarenorum maledicunt in Synagogis suis. Qui servus fuit principum, & tam humilis: ut staret ante Annam & Caipham: & crucifigendus Pilato & Herodi mitteretur. Cui interpretationi Aquila consentit & ex parte Septuaginta, licet in eo mutaverint sensum, & extenuaverint, quod pro gente gentes, pro servo servos interpretati sunt. Alij vero hoc dici arbitrantur ad gentem Judaeorum, quae contempsit animam suam, & abominationi est universo mundo: & servit principibus, de quibus scriptum est, qui devorant plebem meam sicut cibum panis. Sed melior super Christo interpretatio. Aliter ad Christum refert Ludov. de Dieu Animadv. in V. T. p. 541. Junius, Genevenses, alijq; ad Messiam referunt, de quo hac tria dici volunt, quod contemptui habitus fuerit, quod abominabilis gentibus fuerit, quodq; servus fuerit dominantium. Postremum hoc an cum rei veritate conveniat, nescio. Servus quidem Christus passim dicitur, sed qui Patri ac suis servierit, dans animam pretium redemptionis pro ipsis, prout ipsemet exponit Math. 20. quod autem dominantium terrae servus fuerit, nescio an dici recte queat. Deinde durissimum est & à Grammatica alienum חבב sumere pro nomine, ut significet contemptibilem, quum revera sit infinitivus Kal activae significationis. Similiter סרעב pro nomine abominabilis, quum sit Benoni Piel, abominans. Diu multumq; de hoc cogitanti, tandem incidit, quod tamen nemini obtrudere volo, sic verti posse: Sic dixit Dominus redemptor Israelis, Sanctus ejus. Spernere oportet animam (vitam) pro*

pro eo quem abominatur gens, pro servo dominantium. *Ob-*
servavimus ante hac in hoc propheta aliquoties ḥ infinitivi forma-
re Gerundium in dum, ḥ significare rem quæ facienda est, quam
facere oportet. Ita ḥ hic sumi potest. Deinde לְמַעַן לְאִשְׁרָאֵל sumo pro
לְאִשְׁרָאֵל quod Hebraeis usitatum ut Es. 65. 1. bis est לְאִשְׁרָאֵל pro
לְאִשְׁרָאֵל qui non quæsi verunt. Sensus est oportet te, quem
constitui in lucem gentium, & in salutem usq; ad extrema terræ
animam tuam parvi pendere pro iis qui & populi exosi & ma-
gnatibus mancipati sunt: Id quum videbunt Reges principesq;
cogentur surgere & adorare te. Addit & alium sensum. *Aliter,*
Potest לְאִשְׁרָאֵל sumi pro affectu & voluntate, ut Ps. 27. 12. Ne me
tradas לְאִשְׁרָאֵל voluntati hostium meorum. Ut sensus sit:
Spernere oportet voluntatem abominantis gentem, servi do-
minantium. Animat Deus Christum, ut coram Pilato constitu-
tus, qui gentem sanctam abominabatur, ḥ servus erat Cesaris do-
minantiumq; Romanorum, non succumbat, sed fortiter ejus vo-
luntatem spernat. Agnoscimus tamen simpliciore esse expli-
cationem B. Lutheri, Brentij, Osiandri, Pappi, quæ vulgatæ ver-
sioni consonat. Quin Ebreæ rectius veritas, gentem abomina-
bilem, quam abominatum gentibus. Ideoq; nec ea ratione con-
gruit Grotiana de Esaiâ glossa. Interponitur ita promissio ad
Ecclesiam Christi pertinens, quæ verè gens abominata, quam
erigit Christus. Hæc enim dicit Dominus, REDEMPTOR popu-
li Israel, Sanctus ejus, h. e. Filius Dei ad Ecclesiam, homines ab-
jectos, populum, quem alij abominantur, ḥ qui servus Domino-
rum ac Tyrannorum est, quum subjici crudelibus Dominis sepe
etiam fideles teneantur & in mundo sunt πρεσβυτερα ἡμετερον κα-
ταραχματα I. Cor. IV. REGES Te venerabundi, ḥ cum admiratio-
ne VIDEBUNT, quam admirabiliter tibi adsit Dominus, ḥ
CONSURGENT tibi honoris causa PRINCIPES ḥ te ADORA-
BUNT, coram te genua flectent, te venerabuntur PROPTER
DOMINVM QUI FIDELIS EST, ET, PROPTER SAN-
CTVM ISRAEL QUI ELEGIT TE IN POPULVM. Quam
jejuna vero glossa GROTII sit, qui hæc ad Esaiam rapit: nemo
non intelligit. Quinam enim Reges illi sunt qui venerati Pro-
ph.

phetam sunt? Quinam Principes qui ipsi asurrexere, unum
Ezechiam Regem, & unum Eliakim ceu Principem nominat
Grotius, sed hoc longè infra majestatem istius Elogij ac promissio-
nis, quæ hic facta est,

Verf. 8.

IN TEMPORE PLACITO EX AUDIVI TE.

*In tempore voluntatis (ubi tu voluisti) ex audivi te:
pro Ezechia deprecantem.*

IN DIE SALUTIS AUXILIATUS SUM TIBI, ET SER-
VAVI TE.

*Effeci, ne quid Assyrij aut Sobna cum sua factione tibi
nocere possent.*

ET DEDI TE IN FOEDUS POPULI.

Id est, per te renovavi meum cum populo foedus.

UT SUSCITARES TERRAM.

*Ut instaures terram desolatam, eam facias iterum ha-
bitari, Judeis ad tua monita respicientibus.*

ET POSSIDERES HÆREDITATES DISSIPATAS.

Possideri facias. Sic enim habet Hebraum.

Verf. 9.

ET DICERES HIS QUI VINCTI SUNT, EXITE,

Id est, corrigite vos ut exire possitis.

ET HIS QUI IN TENEBRIS, REVELAMINI.

*His qui calamitatibus sunt pressi, date operam, ut omnia
vobis luceant, id est, prospera eveniant.*

SUPER VIAS PASCENTUR.

*Etiam via erunt pascua: id est, florebut omnia, se
se convertant Israhelita.*

ET IN OMNIBUS PLANIS PASCUA EORUM.

*Idem est quod precessit: εν πλάσταις ταις τειβοις, ut hic
habent Græci. Vide Num. XXIII. 3. Jerem. III. 2.*

Verf. 10.

NON ESURIENT, NEQVE SITIENT, ET NON

Nnnn

PER

PERCUTIENT EOS ÆSTUS NEQVE SOL: QVIA
MISERATOR EORUM REGET EOS, ET AD
FONTES AQVARUM POTABIT EOS.

*Id est, ad reditum nihil ipsis deerit: omnia erunt
facilia.*

Verf. II.

ET PONAM OMNES MONTES MEOS IN
VIAM.

*Id est, idem faciam quasi montes auferam. Vide su-
prà XL. 4.*

ET SEMITÆ MEÆ EXALTABUNTUR.

*Id est, valles, ut via sit aqua, הַחַוּצוֹת vertitur ὁδοποιεῖν
וְהַחַוּצוֹת vertitur ὁδὸς, διόδος, τριβὺς, πορεία.*

Habemus novam promissionis itidem magnificentissime
depravationem, quam præconcepta *Judaica* opinio, ac si de
Esaia hic ageretur, huc suggesfit, quæ verò non approbatori-
um sed condemnatorium meretur calculum. Nam quodnam
illud *tempus placitum*, quisnam *dies salutis* intelligi debeat, non
ἰδία ἐπιλύσει discere debemus, sed è Scripturis id depro-
mendum: quæ ad Nov. Test. hoc tempus placitum, & hanc di-
em salutis *διὰ ἑρῆδην* referunt 2. Cor. VI. 2. Hoc enim testimonio,
verba sunt Hieronymi, *Apostolus Paulus in secunda Epistola ad
Corinthios usus, dicens: Tempore opportuno exaudivi te, & in
die salutis auxiliatus sum tui: Ecce nunc tempus acceptabile: ec-
ce nunc dies salutis Si ergo vas electionis ad primi adventus refert
intelligentiam quæ dicuntur: Et nos sequamur expositionis ejus vesti-
gia: Et instar parvulorum super ad umbratas lineas præceptoris, lite-
ras imprimamus.* Et quis ille sit, qui exauditus est, Propheta satis
innuit, cum ait, DABO TE IN FOEDUS POPULI, quod frigida
ista glossa, *renovavi per te foedus meum cum populo*, ne quicquam
Grotius in rem suam pervertere nititur. Non enim *Propheta*
in foedus populi datus, sed *Messias*, per quem Deus foedus
cum populo suo erexit: foedus nempe novum, foedus gratiæ,
quo

quo exhibentur nobis bona spiritualia, & cœlestia gratis, modo in Christum credamus. Quod sanguine suo in cruce sancivit, sed obsignat nobis in S. Cœna per eundem sanguinem novi fœderis, ad confirmationem gratiæ & salutis. Hoc enim fœdere passim eriguntur fideles. Per *tempus placitum* itaq; intelligitur *dies passionis*, qui erat tempus Deo placitum, & *dies salutis* generis humani, ex quo fluere cepere omnes alij dies σωτηρίας, quo ex auditu ipse est ἀπο τῆς εὐλαβείας, v.7. Et quod ibi non sui, sed *nostræ salutis* causa exclamare, & exauditionem expetere opus habuerit, è Ps. LXIX. imprimis constat; hic ergo auditionem pollicetur Dominus, de qua etiam de cœlo ipsum confirmavit Joh. XII. 27. 28. cum precaretur: *Pater salva me ex hâc hora.* Ideò recte Hieronymus. *Tempus placitum & opportunum, & dies salutis passio Servatoris est, & resurrectio, quando orabat in cruce: Deus Deus meus: quare me dereliquisti? Et servavit eum sive plasavit morte superata, deditq; in fœdus populi Judæorum, his videlicet qui ex illis credere voluerunt, ut suscitaret terram.*

Dubium est quomodo, 2. Cor. VI. 1. ad Ecclesiam totam accommodetur, quod de Christo agit, quæ ita explicat Calvinus. *Paulus hanc sententiam ad totam Ecclesiam accommodat: Interea verò quod subjicit Propbeta, DABO TE IN FOEDUS, nemini alteri quam Christo convenit, quomodo hac inter se conciliabimus? nempe si consideremus Christum non tam esse suum quam nostrum, quia nec venit, nec mortuus est, nec resurrexit sibi. Ipse enim in salutem Ecclesiæ missus est; nec quicquam sibi proprium querit, cum nulla omnino re indigeat. Itaq; promittit Deus universo Ecclesiæ corpori. Christus qui velut sponsor intermedius est, recipit has promissiones, nec sibi privatim stipulatur, sed toti Ecclesiæ, in cuius salutem missus est. Christum igitur non separatim compellat, sed quatenus corpori suo adheret, eiq; perpetuo conjunctus est. Nec aliter Pontificij Interpp. Cornel. à Lapide: q. d. Eo tempore, quo contemnebaris, vexabaris, imò crucifigebaris, ô Christe ab impiis Judæis, orasti me, ut te ab hisce Judæorum & gentilium probris eriperem, glerificarem, à morte suscitarem, nomen tuum*

toto orbe celebrarem, & per illud justitiam & salutem darem omnibus gentibus. Dixisti enim in tempore contemptus tui Ps. LXIIX. 12. 14. Factus sum illis in parabolam, Ego verò orationem meam ad te Domine dirigebam, tempus beneplaciti, (adveniat) Deus. In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me, in veritate salutis tuæ. Idem orasti in cruce cum clamore valido, & lacrymis, & exauditus es pro tua reverentia Hebr. V 7. Nam tertiò die à morte te suscitavi, quadragesimo die triumphantem in caelos subvexi, quinquagesimo die in nomine tuo Spiritum S. in Apostolos tuos misi, qui mox tuum nomen toto orbe celebrarunt tuamq; fidem, gratiam & salutem omnibus Gentibus attulerunt & deprecaverunt. Tempus ergo placiti sive benevolentiae (hanc enim significat Hebræum יְיָ) divinæ erga Christum & Ecclesiam, est tempus placabile, quo Deus placatus & reconciliatus est per Christum generi humano, puta tempus gratiæ & Evangelij, præsertim id, quod mox Christi mortem consecutum est, in quo vivebant, docebant & convertebant orbem Paulus & Apostoli. Sic enim explicat S. Paulus 2. Cor. VI. 2. Tempore accepto exaudivite & in die salutis adjuvi te. Ecce, nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Idem enim est tempus acceptabile, quod dicitur, id est tempus salutis. Et ad illa ET DEDI TE IN FOEDUS POPULI Ut novum fœdus, pactum & testamentum conderes inter Deum, omnesq; gentes, sicut vetus fœdus sancit Moses inter Deum & Judæos, utq; fœdus tua morte & sanguine sancires. Unde secundò, dedi te in fœdus, id est, in victimam fœderalem, qua placatus Pater, hominibus reconciliatus est, cum iisq; fœdus iniit de danda eis salute aeterna. Ita Forerius.

Neq; verò suscitatio seu restauratio terræ corporalis, aut restitutio hereditatis dissipatæ intelligitur, sed ea, quam vers. 6. de Messia prædixerat, quod suscitaturus sc. sit tribus Jacob, & quod desolationes Israel conversurus sit per reformationem Ecclesiæ ac immisionem credentium virtute meriti & passionis & resurrectionis, in hæreditatis beatæ possessionem, quod per peccatum deperdita erat. Non liberatio corporalis, sed spiritualis eorum, qui peccatorum vinculis ligati sunt, & in tenebris mortis captivi te-

vi te-

vi tenentur, ut erepti è potestate tenebrarum in lucis consortium
 veniant Col. I. 20. ac pace conscientiae & gaudio in S. S. fruantur
 Rom. XIV. Nec tuctura corporis aut protectio ad versus estum
 Solis, sed refectio spiritualis designatur, quod Pastor bonus il-
 le praestat. SUPER VIAS, id est ubi vis locorum PASCENTUR,
 ET IN OMNIBUS PLANIS (Ebr. COLLIBUS) PASCUA E-
 ORUM (quia passim in orbe, N. T. tempore Ecclesiae erunt,
 quae verbo Evangelij & Sacramento Coenae Dominicae pascen-
 tur) NON ESURIENT, NEQVE SITIENT EOS AESTUS
 NEQVE SOL, QVIA MISERATOR EORUM (Filius Dei,
 qui summa erga ipsos misericordia tangitur) REGET SEU
 DUCET EOS CLEMENTISSIME, eorumq; curam diligen-
 tissime geret. ET AD FONTES AQVARUM Limpidissi-
 mos POTABIT (in Ebr. DUCET) eos, ut affatim reficiantur.
 Quam spiritualem esse refectioem quae per S. S. & consolationes
 Evangelicas fit, cum afflictionis estus sentim9 Matt. XI. Joh. VI.
 c. VII. ubi ex aduerso impii in afflictione fame, siti & estu defici-
 unt, desperant & pereunt. Ideò refectio illa plenariè ac perfecta
 ratione ab hoc miseratore nostro obtingat fidelibus in alterà vi-
 tà. Tum enim electi non esurient, neq; sitient amplius, nec ca-
 det super illos Sol, neq; ullus aestus (nulla tum afflictio, nulla ten-
 tatio) quoniam agnus qui in medio throno est reget illos, & dedu-
 cet eos ad vitæ fontes aquarum Ap. VII. 16. Habemus ergo ex
 interpretatione S. S. omni exceptione majori, quis sit MISERA-
 TOR ILLE, qui fideles ducit vigore promissionis esaiæ, quod
 nempe sit Agnus qui in medio throni est, Christus Jesus Pastor no-
 ster optimus Ps. XXIII. Job. X. qui ovibus suis dat vitam aeter-
 nam. Unde rectissimè hæc interpretatus est S. Hieronymus.
*Servavit eum sive plasnavit Deus morte superata, deditq; in foedus
 populi Judaeorum, his videlicet qui ex illis credere voluerunt, ut su-
 scitaret terram, quæ in idololatriæ jacebat erroribus, & possideret
 hereditates dissipatas sive desertas, quæ habitatorem non habebunt
 Deum: et diceret his qui erant in vinculis: exite: qui peccata-
 rum vinculis astringebantur. Quia funibus peccatorum suorum
 unusquisq; constringitur, & qui erant in tenebris, revelamini:*

ANNOTATA AD ESAIAM

Qui autem in istius modi viis atq; semitis pastus fuerit & nutritus, nec esuriet, nec sitiet: neq; calorem sentiet Solis; & implebitur de illo quod scriptum est: Per diem Sol non uret te, neq; luna per noctem: Ut nec adversa nec prospera hujus seculi sentiat. Si quidem misericors & miserator Dominus ipse consolabitur & reget eos, & deducet ad fontes aquarum, sive potabit illos ad fontes, de quibus scriptum est: Benedicite Domino de fontibus Israel. Et in alio loco: Haurite aquas de fontibus Salvatoris. Hi fontes in Vet. Test. & Novo sunt. Et Cyrillus. Ubi Christi gratia illuxit, vincula eorum solvit, illustravit cor, inde per omnem viam currere, bonumq; mentis ac intelligentiae pabulum colligere: (hoc enim significat, Pascentur) omnemq; semitam probitatis celeriter transire voluerunt, nihilq; vetat dicere, quia semita & via nostros animos adducunt ad Deum, seu ad sanctam & excellentem vitae institutionem, divinitus inspirata Scriptura: quae errantibus minimè fuerunt cognita. Postquam autem ad lucem veritatis vocati sunt, suppetebant illis pastus & pascua, quae spiritali robore nutriunt, omniumq; bonorum desiderio. Promittitq; illis Deus gratia sua & auxiliij, & spiritalis consolationis copiam. Non enim esurient, neq; sitient, inquit. Olim enim spiritalis consolationis expertes erant: nec divinam legem habebant, non prophetam, non paedagogum, non magistrum, non Doctorem, non intelligibilem aquarum fontem: At cum à Deo misericordiam consequuti sunt, spiritalia bona deinceps affatim suppeditabantur, & cibum qui animos juvat habuerunt, panem de caelo ederunt, aquam viventem biberunt, de qua etiam ipse Christus dixit ad Samaritanam mulierem verba faciens. Sed nec aestus illos feriet, neq; Sol. Factus est enim illis Christus protector, qui etiam olim filiis Israel suspendit interdum nubem, & noctu in columna ignis praecessit. Itaq; inquit, extra Solem erunt & aestum, id est, regentur umbraculo divino, ut nihil contingat, quod sit molestum, vel quod ad pusillanimitatem adducat.

Frivolum ergo & ineptum est, quod istam tantam promissionem, quae se porrigit etiam in alteram & beatissimam vitam, Grotius de sola itineris facilitate accipit, quod ad reditum in Judaeam nihil de futurum sit Hebraeis. Deniq; quae de montibus

in

in viam ponendis, & semitis domini exaltandis prædicuntur, ea itidem ineptè & frivole *ad viam equam in reditum* abripiuntur à Grotio, qui hic nil nisi carnalia & temporalia sapit. *Via semitæq; longa alia, via nempe legis depressæ semitæ Domini* intelliguntur: quia facit miserator noster: ut in vijs justitiæ ambulemus, & pedes nostros dirigit in vias pacis, & semitas mandatorum Domini, ut secundum regulam verbi divini incedamus *Gal. VI. 16.* ut montes superbiæ & impietatis deprimantur & humiliantur, ac semitæ depressæ atq; humiles, quæ vera pœnitentia contritæ & depressæ sunt exaltentur. Aut si de *viam equalitate, ac itineris facilitate* hæc intelligenda, non viæ & semitæ in Judæam, sed ad Ecclesiam designatæ, quia non de corporalibus, sed spiritualibus beneficiis tota promissio agit. *Faciam omnia etiam asperiora loca ita petrea, & semitas in vias ita sternam, ut magna gentium multitudo sit accessura,* de qua versus sequentes agunt: *Ecce isti de longe veniunt &c.* Quem sensum iterum probe expresit Hieronymus. *Omnia offendicula quæ credentium poterant impedire gressus, Dominus eis vertet in planum, & excelsa humiliabit, atq; humilia sublimabit, ut iter planum habeant, atq; campestre.* *Qui sint autem isti quibus præparetur via; ponit manifestius.* Ecce isti de longe venient. Calvinus ipse etiam si nonnulla in hac promissione ad *corporalem reditum* pertrahere nitatur, agnoscit Christi beneficia *Spiritualis spiritualia* v. 9. describi: **UT DICAT VINCTIS.** *Describitur, inquit, his verbis mutatio, quæ Christi adventu contigit.* Neq; tamen dubium est, quin Propheta Judæis solatium afferre velit in rebus perditis, ne restitutio in melius illis sit incredibilis: quia se excidio fere devotos esse videant. Interea in genere ostendit, *quale sit officium Christi:* ac definit, *quid sit restituere hereditates desolatas.* Nam priusquam adveniat Christus, sub misero jugo vincti, atq; in tenebris constituti sumus. His similitudinibus significat nos, quamdiu caremus Christo, malorum omnium congerie esse obrutos. Nam per **TENEBRAS,** excludit omnia, quæ ad regnum Christi pertinent, fidem, justitiam, veritatem, innocentiam & ejusmodi. Sumus ergò in tenebris, do-
nec

nec Christus dicat: OSTENDITE VOS. Sumus vincti, donec dicat, EXITE. Plurimum vero inest ponderis in verbo **NON** ut dicas. Ostendit enim *predicationem Evangelij* modum esse, quo liberamur. Si ergo libertatem, si lucem regni Dei optamus, audiamus Christum loquentem: Alioqui perpetua Satanæ tyrannide opprimemur. Ubi nunc est arbitrij nostri libertas? Quisquis enim sibi lucem aut rationem & intelligentiam arrogat, hanc Christi liberationem experiri non poterit. Libertas enim non alijs promittitur, nisi qui se captivos esse agnoscunt: Lux & salus, qui se in tenebris demersos esse confitentur. *Oecolampadius* verò etiam cetera, quæ hic habentur, beneficia spiritualia concernere agnoscit. Ad verba illa **SUPER VIAS PASCENT** hæc annotans: *Miris & varijs hyperbolicis fidelium felicitatem describit. Pacifica enim erunt omnia, fecunda & suavia. Unde & Dominus invitatur nos dicens: Tollite jugum meum quia jugum meum leve, & onus suave est. Propheta primum ponit abundantiam pascuorum & aquarum. Super vias enim pascent; h. e. ubiq; invenient pascua: Et super colles erunt pascua, h. e. in locis illis in quibus alioquin non sunt pascua. Proinde nulla erit fames vel sitis, sed & nulla adversitas, quia non percutiet aestus persecutionis. Nec mirum, nam Dominus Dux noster erit & juvabit nos, præibitq; sicut olim filios Israel exeuntes ex Ægypto antecessit Angelus. Et sicut in deserto ex petra fluxerunt aquæ, ita & misericors dominus adscaturientes & vivas aquas deducet, sicut & Psaltes dicit: Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ collocavit me. Super aquam refectionis educavit me. Deerit item labor & fatigatio, montes enim erunt in viam, hoc est plani, ita ut absit omnis difficultas itineris. Ridet hic Judæus & dicit: Ubi illa Christianorum felicitas, quorum Christus crucifixus, & Apostoli diversis suppliciis affecti, & quibus crucem amplexari prima disciplina est? Quibus respondemus, nos animi, non corporis felicitatem querere, quæ & ipsa sequutura est, ubi necesse fuerit. Nihil enim mali à cruce, nam dum externus homo male habet, internus de die in diem innovatur. Sunt autem & nobis pascua, pocula, & panis cœlestis, multoq; delicatius pascimur quam*

quam patres in deserto: nam illi mortui sunt, quisquis autem de nostro pane manducaverit, vivet in aeternum. Scimus enim quantum nobis promiserit Deus, & ne vacillaremus animo, promissiones illas morte Domini nostri Jesu Christi filij sui obfirmavit. Impossibile autem est, quin reficiantur fidelium animi tanti beneficij memoria. Sunt & nobis quoque fluentia gratiarum Spiritus S., de quibus inquit Christus: Qui sitit, veniat ad me & fluent flumina de ventre ejus. Hæ veræ divitiæ sunt, quas Spiritus tribuit. In montibus enim afflictionum, plagarum, carcerum, seditio-
 laborum, vigiliarum, jejuniorum, aliarumque difficultatum via nobis facta est, ut feramus omnia in animi lenitate, in Spiritu S., in benignitate, in charitate non simulate, in sermone veritatis, in potentia per arma justitiæ, à dextris & sinistris per gloriam & ignominiam &c. ut hortatur Apostolus.

Vers. 12.

ECCE ISTI DE LONGE VENIENT.

Id est, ab Oriente, à Perside & aliis locis ad Orientem Judææ sitis: nam hoc sequentia requirunt. De Hebræis loquitur.

ET ECCE ILLI AB AQUILONE,

Ex Media, quo multi erant deportati,

ET MARI.

Id est, ab Occidente. Nam mare Syriacum ad Occidentem Judææ. Per mare intellige loca trans marina Cyprum, Cretam, Macedoniam.

ET ISTI DE TERRA AUSTRALI.

In Hebræo. סיני. Noli hic cum quibusdam cogitare de Sinensibus ultra Indiam, qui sunt ציני. non סיני. Post ortum, Septentrionem, Occidentem, restabat Auster. Ad Austrum Judææ sunt Sinei, ut hic Interpretes nomen סיני transtulit Gen. X. 16. unde nomen habet deserta Regio Sin, & in ea mons Sinai Exod XVI. 1.

De Hebræis loqui Prophetam dicit, non probat Grotius. Ut priora beneficia spiritualia erant, ita hic non corporalem

Oooo

He

Hebræorum disperforum reditum, sed *spiritualem* conuersionem tum Ebræorum tum aliorum populorum per uniuersum orbem designat. Ideo *omnes quatuor mundi plagas* exprimit. Solet enim ita conuersionem gentium, & regnum Christi describere *SS. Vid. Ps. LXXII. Es. XLIII. 10. cap. LX. Zach. IX.* Agnoscit id iterum *Oecolampadius*, cuius explicationem ob glossas *Calvini*, hic corporalem reditum somniantis, cum *Grotio*, adijcimus. *Ad uocationem Apostolorum uincti in toto orbe exeunt, & migrant ad cœlestem Hierusalem, tanta multitudine, ut nemo satis mirari queat. Ecce, inquit, illi contempti predicatione Evangelij tam alacres, tamq̃ liberi adsunt. Hæc est messis, cuius Dominus in Evangelio meminit, & plenitudo gentium, quæ pro ingratis Judæis subintravit. Describit autem terram uniuersam à quatuor partibus &c.* Quem sensum posthabita *Calvini* sui autoritate etiam sequuti sunt *paraphrasta Belgici*, ut & *Piscator* in *Annot. Bibl.* Neq̃; uero Judæi dispersi fuere per totum terrarum orbem. *Corn. à. Lapide* intelligit cum *Otorio & Ariemontano* per סיני Sinenses, adeoq̃; censet ac prolixè docet; prophetiam esse de *vastissimo & magnifico regno Sinarum*, in quo *Botterus* scribit, nominari 20. *Milliones hominum, quæ multitudo non est in tota Europa, juxta Nicolai ac Tregentij computum 250. milliones erunt & amplius: Et hæc causa est, cur cœlum & terram exultare jubeat Propheta: LAUDATE COELI ET EXULTA TERRA, JUBILATE MONTES LAUDEM, QUIA CONSOLATVS EST DOMINVS POPVLVM SVVM ET PAVPERVM SVORVM MISEREBITVR.* Optat enim cœlis & elementis omnes linguas, quibus congratulentur hominibus è captiuitate peccati redeuntibus, ut ait *Forerius*. *S. Cyrillus Cœlum inquit, & terram in unum sodalitium conuocat, & propter eos, qui ab illo seruati sunt, festum celebrare optime precipit. Cœli intelligi possunt, non ipsum clementum, sed qui in summis habitaculis commorantur, & cœlesti locupletati sunt domicilio, & sanctæ potestates, Principatus, Throni, Dominationes, & quæ sunt ultra Seraphim. Terra similiter qui in ea expectant fore ejus apparitionem, & qui norunt illum affore, ad redimendum Israelitas,*

omnesq̃

omnesq; gentes in universa terra degentes. Misertus est Deus populi sui, & humiles populi sui consolatus est. Misertus est enim omnium, cum illis Christus illuxerat. Siquidem verum est, erepti sunt à manu diaboli, & sevitia dæmoniorum, & à peccato quod in eos tyrannidem exercuit, liberati, & mortis in super vinculis donatiq; gratia, & excellenti dono, sancti spiritus facti participes, & adoptionis gloria illustrati, & spe, quæ mentem ac cogitationem superat, ditati. Verum observa sermonem Prophetæ, ait enim. Humiles populi sui consolatus est. Humiles esse dicimus eos, qui flexile & tractabile collum submitunt Christo, & jugum regni eius non contemnunt, eo quod fidem admiserunt, ac preparati sunt, in spiritu ac veritate adorationem & cultum ei præstare: cum hi qui fidem non admiserant, non sint humiles, sed cornu in altum erigant, & injustitiam contra eum loquantur, & contra sacrosancta eius vaticinia, superbam velut cervicem mentis attollunt. Hi non sunt donati spirituali consolatione, non enim erant digni. Hieronymus ita habet: Precipitur cælis & terra, vel his virtutibus quæ in cælo morantur & terra: vel Angelis & hominibus, ut Dei concinant laudes, Et qui in excelsis virtutum positi sunt, mentis letitiam júbilo & exultatione testantur: Quia consolatus est Dominus populum suum. Eos qui ex Judæis credere voluerunt. Et pauperum humiliumq; suorum misertus est, sive omnis populi sui, qui de oriente & occidente, aquilone & austro, ad eum vocatus est. Non habens legem nec Prophetas, nec divitias spirituales, sed desertus, pauper & humilis cunctis dæmonibus subjacebat.

Verf. 14.

ET DIXIT SION.

Urbi Hierosolymorum destructæ dat sermonem.

Verf. 17.

VENERUNT STRUCTORES TUI.

In Hebr: Festinant. Jamiam Cyrus id præcipiet.

DESTRUENTES ET DISSIPANTES A TE EXIBUNT.

Oooo 3

Lon.

Longè erunt à te Babylonij, nihil nocere tibi poterunt nec magis Samballetes, & Tobias Ammanita.

OMNES ISTI CONGREGATI SUNT.

Omnes isti, qui per omnes terras, Assyriorum, Medorum, Babyloniorum, Persarum exsulant, ingens illa multitudo.

VENERUNT TIBI.

Famiam venient ad te.

OMNIBUS HIS VELVT ORNAMENTO VESTIERIS, ET CIRCUM DABIS EOS TIBI, QUASI SPONSA.

Sicut vestibus speciosis & monilibus decorari sponsa solent, sic illorum egregiae virtutes te decorabunt.

Desolatae urbi hæc dici probandum erat, quod *Chaldeus* quidem *Interpres* & *Thomas*, ut & *Sanctius Jesuita* censuerunt, etsi hi etiam *mysticè* ad Christum hætenus referant. Sed alij de *Ecclesia* interpretati sint, ac de temporibus *Nov. Test.* etiam intellectum voluerunt, quo ad *sensum literalem* multo augustiora dici, quam ut carnalibus *Judeis* conveniant, ut *Corn. à. Lap.* ait, etsi ad illos alludi fateatur: Qui cum *Forerio* & alijs per *Sion* *Judæos* sed in Christum credentes & pios designari putat. *Leo Castrius* vocem hanc querulam *Ecclesiae*, & *Apostolorum* tempore *persequutionis* esse statuit. Alij communiter *Ecclesiam afflictionem sustinentem* intelligunt, quam, Deus hic solatio erigere voluerit. *Calvinus*, etsi ad *reductionem* *Judæorum* respici non abnuat *latius* tamen *promissionem* spectare, & ad illum tantum per *similitudinem* alludi censet; utitur, inquit, *similitudine urbis vastatae*, *cujus muri & aedificia instaurantur*, ad quam *cives* tam magno numero redeunt, ut *dilatanda* sint *ejus pomæria*, quod prior ambitus omnes continere nequeat. Non solum ergo intelligit *reductionem* *populi à Babylone*, sed *restitutionem* quæ per Christum facta est: cum *sc. Ecclesia* non tantum per *Judeam*, sed etiam per *universum orbem* longe lateq; propagata est. Addit etiam *præsidium fore paratum*, si qui eam *hostes infestent*: imo quie-

tam

tam fore ab eorum injurijs & molestiis, quia Deus procul ipsos abiget: non quod Ecclesia unquam in totum pacata fuerit, & ab omni hostili violentia immunis: Sed tamen Deus suorum infirmitati parcens impios prohibuit, eorumq; impetus repressit, aut discussit, ne saltem ex Ecclesie ruinis regnum Satanae cresceret. Similiter etiam habet Oecolampadii explicatio, ut & Zvinglij qui ad v. 22. Ecce levabo manum meam ad gentes, observat, irrefragabilem hunc esse locum vocationis gentium, Piscatoris item nec non Paraphrastarum Belgicorum ad v. 16. notantium hunc esse sensum: sicut muros à Chaldeis destructos edificaturus sum, ita & spiritualem Hierosolymam, Ecclesiam meam, quæ nunc exigua & fere tota collapsa est, exstruam & custodiam. In hac explicacione conveniunt Nostrates; Brentius, qui egregie pro more suo hunc sensum exequitur, & Osiander, qui illum in plerisq; in paraphrasi sua sequi amat: Nec non D. Pappus, Paraphrasta Vinariens. & alij. Quam etiam Megalander Lutherus præclare, tradidit. Zion & ij qui verè sunt in Ecclesia, & habent Evangelium, & tantam promissionum opulentiam, clamant se derelictos à Deo esse. Neq; aliter acceperunt pij Veteres. Illustris est Hieronymi expositio, qui evolvit primum ὁμωνυμίαν vocis Sion, quod notet (1) Hierosolymam ut Matth. XXIII. Luc. XXI. quo sensu Judæos accipere illam vocem hoc in loco asserit (2) Sanctorum congregationem, qui in pace Domini, & in virtutum specula constituti recte vocantur Sion, de qua dicitur Ps. XXCIV. Fundamenta ejus in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob. Neq; enim fundamenta judaica Sion, quam videmus esse destructam, à Domino sunt dilecta, aut quod à Domino dilectum est destrui potest. (3) Cælestem Hierosolymam, de qua Ebr. XII. Accessistis ad montem Sion &c. Addit (4) Judæos & Christianos Judaizantes juxta Apocalypsin Johannis, quam non intelligunt, auream & gemmatam Hierosolymam fingere. Postea diligentius expendit, quænam Sion dixerit. Dereliquit me Dominus: Et de Sione juxta alteram vocis significationem, h. e. spirituali explicat: Nec dubium est, inquit, quin congregatio Sanctorum quæ prior fuerat in Judæis & à Domino derelicta est, ista commemoret &

voce lacrymabili conqueratur se esse desertam & Domini auxilio de-
stitutam. Cui respondit Deus naturali utens similitudine: Si po-
test fieri, ut mater sui obliviscatur infantis & ad partum visce-
rum suorum non flectatur misericordia, & ego obliviscar tui.
Plus aliquid dicam: & si illa oblita fuerit vincens mentis duri-
tia jura naturæ, ego tamen non obliviscar creaturam meam, &
sanctorum animas semper in meo corde retinebo. Scito etiam
tu, quæ te penitus arbitraris derelictam, in meis descriptam esse
manibus atq; depictam, & muros tuos coram oculis meis jugi-
ter permanere: Ex quo discimus, nequaquam Hierusalem in Pala-
stinæ regione quærendam, quæ totius provincie deterrima est, &
saxosis montibus asperatur, & penuriam patitur sitis, ita ut cæle-
stibus utatur pluvijs, & raritatem fontium, cisternarum constructi-
one soletur, sed in Dei manibus, ad quam dicitur. Festinaverunt
destructores tui: Sive juxta LXX. Cito ædificaberis, à quibus de-
structa fueras. A Judæis enim destructa, à Judæis ædificata est.
Quæ ob culpam scribarum Phariseorumq; deserta, ad prædicatio-
nem Apostolorum Christi congregata est, tam de Judæis, quam de
gentibus. Concinit Cyrillus, cujus explicatio digna est, quæ ad-
jiciatur, quod alijs locis de Sione etiam lucem affundat. Pro-
posuit universorum Servator & Dominus etiam ante alios, filijs Si-
on, seu ex sanguine Israel, gratiam per fidem, & infinitis sermoni-
bus fidem illis conatus est facere, ut apprehenderent opportunita-
tem, qua possent, si in illum credidissent, gloria patribus promissa
locupletari. At hi præfracti erant, & inobedientes, & legibus, quæ
per sapientissimum Moysen descriptæ erant, despectis, & propheti-
cis prædicationibus neglectis, à fide exciderunt, & crimine Domini
alij, tanquam laqueo capti sunt. Hac de causa lapsi sunt, & à
conjunctione quæ cum ipso est, procul sunt alienati, Reliquiæ tamen
servatæ sunt, & funditus Israel non periit. Caterum pauci sunt
servati, & præ infidelium multitudine, omnino pauci. Percite i-
taq; Sion Judææ matris personam sustinens, nunc introducitur
propemodum, & luget quasi despecta a Deo explodente. Hinc pau-
cissimis ipsi relictis liberis, dicit: Dereliquit me Dominus, & Do-
minus oblitus est mei. Et quid ad hæc Dominus? Incomparabi-
lem

lem in homines charitatem declarat, & Sioni intelligibili misericordia bona promittit, & quod non posset aliquando sui figmenti oblivisci, conatur persuadere. Quemadmodum enim mulier quæ peperit, suorum liberorum oblivisci non potest, ut quæ legem naturæ habet summæ pietatis & indulgentiæ dispensatricem & administratricem: sic, inquit, ego meorum oblivisci nequeo: siquidem affectum indulgentiamq; maternam, quæ divina sunt, superant & super eminent. Illa autem, non dissentaneum, quin in oblivionem venire possit. Me autem hoc pati fas non est. Itaq; oratio est, velut à terrestri Sion, seu Judæorū matre, quæ vel sterilitatem vel paucitatem liberorum passa est, promissio autem est velut ad intelligibilem Sion, ad quam sapientissimus Paulus dicit accessisse, eos qui crediderunt: ut ex gentibus & Judæis coactam Ecclesiam intelligas, typum habentem superioris. Et postea ad verba: Attolle undiq; oculos tuos. In tota sancta & divinitus inspirata Scriptura clare dictum est, portionem & sortem Christi esse sanguine Israelitico oriundos seu terrenæ Sion liberos, in extremis seculi temporibus. Revertentur enim, inquit, ad Dominum Deum suum, & ad David Regem suum. Et stupebunt in Domino, & in bonis ejus, postremis diebus. Subingressa est enim illis dissentibus Ecclesia gentium, quam etiam intelligibilem Sion esse dicimus. Vocantur autem & illi, eritq; unum ovile, unus pastor, ut non amplius duæ Sion nominentur, sed ambæ in unam consummentur Ecclesiam, unius summi pastoris manui subditam.

Hæc expositio Ecclesiæ Christianæ non debebat certè posthaberi glossis Rabbinicis. Et videre poterat Grotius vel ex istis verbis, quæ consolationi Sionis imprimis adhibita sunt: *Leva in circuitu oculos tuos, & vide; omnes isti congregati sunt, venerunt filij, quod non de terrena Hierosolyma, ejusq; reedificatione, sed de spirituali, ejusdemq; ampliatione per vocationem gentium sermo sit, maxime quia Deus ipse interpretationem adjecit Sole clariorem. Ecce levo ad gentes manum meam, & ad populum exaltabo signum meum, & afferent filios tuos ulnis & filias tuas super humeros portabunt. Et erunt Reges nutricij tui, & Reginae nutrices tuæ.* Sed Grotio clarissima etiam sunt
opa-

opaca, quia excœcata mens ipsi, ut Judæis quo minus videat claritatem Evangelij. Quomodo enim luculentius exprimi poterat gentium ad regnum Christi vocatio! Ideoq; certum atq; immotum est, non cum *Judæis de Zione corporali*, ejusq; exstructione hæc accipienda esse, sed de *spirituali*, quæ ubi deserta videtur, quod non tantum in *Babylonicâ* captivitate accidit, sed etiam cum *Antiochus Epiphanes* grassaretur in Israel, & cum primis Herodis tempore, cum politia ab hujus tyrannide oppressâ, Ecclesiasticus status Phariseorum & Saducæorum *βδελύγμασι* maxime corruptus esset, ac paucissimi superessent fideles, quasi Sionis suæ oblitus fuerit Deus penitus, quod insuper in persecutionibus sub *Ethnicis Imperatoribus*, sub *Ariana* sub *Anti Christo* eidem evenit & eveniet usq; ad finalem liberationem, à Domino nunquam non erigitur hac suavissima consolatione, quam tamen ad Sionem tempore adventus Christi maxime desertam imprimis spectare cum *Cyrillo* & *Hieronymo*, alijsq; in Græcâ, & Latinâ Ecclesiâ Doctoribus censemus, siquidem id textus *συνήχεια* & eventus harmonia confirmet. Non dubitamus tamen *alluisse Prophetam ad prædictam in alijs vaticinijs liberationem è captivitate, & reedificationem Zionis*, quod pleriq; agnoscunt Interpp. & à veteribus quoq; observatum, *Hieronymo* imprimis ac *Cyrillo Alexandr.* quia verba Prophetæ id inferunt: quod verò ita intellectum volumus, ut salvus maneat literalis sensus unicus de Sione spirituali, quem geminum hic esse hæctenus ostendimus, cui istud v. 16. ECCE IN MANIBUS TUIS DESCRIPSI TE convenit, non æque Sioni terrenæ. Nam non solum exprimitur phrasi illa *signum memoriale* cujus modi *digitis* apponi solebat, ut Grotius vult, sed imprimis *specialis Dei dilectio fidelium propria*. Alia loci *Ex. XIII. 9.* ratio est, ibi habetur *signum in manu*; hic nulla signi mentio fit, sed *sculptura*, & alludi censent nonnulli ad *annulos*, in quibus imago ejus, qui impense diligebatur, geri consuevit. Vid *Hieronymus* in *Dan. III.* Itaq; non *nuda recordatio*, sed *cura fidelium*, quos in manu sua gerit insculptos Deus, ut nunquam eorum obliviscatur, intelligenda. Unde nonnulli cum *Procopio* inscriptionem in librum

brum vitæ, qui est in manu Dei, electorum propriam intelli-
gunt. Atq; id etiam altera phrasis infert: MURI TUI PER-
PETUO SUNT CORAM ME. *Utitur* inquit Brentius, *pro-*
more ijs verbis, quibus externa Sion describi solet, cum tamen in-
telligat spiritualem Sionem, & significat curam salutis & conservatio-
nis Ecclesie sue, sic sibi meditatam & infixam esse, ut desereri ex ani-
mo suo nunquam possit. Hoc idem adumbravit Spiritus S. in duo-
bus lapidibus onychinis, in quibus sculpta erant nomina filiorum Isra-
el, & quos portabat Abaron coram Domino in utroq; humero
ad monumentum. Idem adumbrabant etiam duodecim gemmae,
in rationali seu pectorali iudicij incluse, quas duodecim nominibus
filiorum Israel insignitas Abaron ingressurus in Sanctuarium in
pectore suo affixas gestare solet: memoriale, ut Scriptura Ex.28.lo-
quitur, coram Domino in æternum. Institutus enim fuit hic
ornatus in Sacordotij ministerio, non quod eo Deus per se delecta-
retur, aut placaretur: Sed ut Ecclesia admoneretur, se non so-
lum Deo semper curæ esse, sed coram eo omnibus gemmis preciosio-
rem reputari. Et ut nomina filiorum Israel in gemmas insculptæ
deleantur, nisi confractis gemmis, non potuerunt: ita fieri non potest,
ut ex animo Dei Ecclesia ejus aboleatur. B. Lutherus emphasin
notat, quod dicatur coram oculis MEIS, non tuis. Neq; enim
sentimus, quod simus expositi hominibus, dæmonibus, peccatis,
morti & inferno; sunt igitur muri invisibiles & tantum credibiles.
Sectarij vident suos muros, Tyranni vident suos muros. Hic est immu-
tando sensus, quod illorum muri nulli sint, quia sunt coram oculis ho-
minum, nostri autem coram oculis Dei. Cyrillo descriptos nos esse in
manu Domini per passionem Christi dicit, quod certè verissimum
est ratione MERITI hujusce inscriptionis. Christi, inquit, pas-
sio & preciosa crux & manuum ipsius affixio securitas fuit, & murus
inaccessus & infractus his, qui in ipsum crediderunt: Dicere ergo pos-
sit jure: Ecce manibus meis depinxi muros tuos. Intelliges per
passionem meam, sive passionem hoc uno significari, depinxi pro
efformavi, dixit, & coram me es semper. Si enim passus est pro
vobis, quomodo nostri oblivisceretur? vel quomodo non essent in

Pppp

OCII

la-
rat
uo-
io-
le-
e-
ri-
es-
y-
es,
in
sub
io-
pla-
axi-
isq;
em
du-
nis
ole-
ro-
fe-
t li-
es-
BUS
tam
li di-
Dei
ha-
e, &
qui
Dan.
ma-
tur,
n li-
rum

oculis ejus, propter quos ligno affixus est. Unde August. in Sol. loqu. c. II. *Manus tuae inquit, Domine fecerunt me, & plasmaverunt me: manus inquam illa, quae affixae clavis sunt pro me, opus manuum tuarum Domine, ne despicias, vulnera manuum tuarum precor, ut aspicias. Quia in manibus tuis Domine descripsisti me: Lege ipsam scripturam & salva me. Confer. etiam Ambros. I. VI. Hexalm. c. 5.*

Jam quod ad *Structores* attinet v. 17. non apparet, quomodo *architecti & restauratores Sionis corporalis* intelligendi sint. Haec enim ejus amplitudinis & capacitatis non fuit, ut gentes ex omnibus plagis mundi accipere potuerit. Ideo Apostoli & alij architecti spirituales sub N. Test. intelliguntur 1. Cor. III. etsi interim non negemus *alludi ad destructam à Chaldeis Sionem*, quam restaurandam esse alias predictum erat, quemadmodum & sub destruentium & dissipantium nomine ad Saneballat & similis furfuris homines, qui structuram sufflamabant, respici, admitti potest, q. d. (quae Corn. à Lapid. est explicatio plerisque; coeteris consona) *video uti olim ita & nunc ruinas murorum tuorum, ô Sion, scio, quid facto opus sit, cerno tuos hostes, Scribas, Phariseos, Imperatores & tyrannos, apostatas & haereticos, qui à te exeunt, suntque transfugae ad hostes; te velle destruere, dissipare & evertere. Verum ego eos avertam, vel compescam, vel certe efficiam, ut tui structuram non impediunt, sed potius promoveant. Unde LXX. vertunt, cito aedificata es, à quibus destructa fuisti. Nam Judaei, ac praesertim imperatores, Ecclesiam persequentes, postea ad eam conversi, magis eam propagaverunt. Ita fecit Saulus, cum factus est Paulus. Ita fecit Constantinus Imper. ejusque poster. Sic explicant S. Hieronymus, Cyrillus, Augustinus, Tertullianus, Justinianus & ex eis Leo Castrius. Idem dicit & amplificat in seqq. Propheta, adeo clare, ut S. Augustinus, Tertullianus & Origines assentiant, ea interpretatione non egere ornatam Sponsa. Ita exponit Cyrillus Omnibus eis induam se velut ornatu Sponsae. Nam Ecclesiarum ornamentum est multitudo aggregata. Nam ideo solet divinitus inspirata Scriptura, Ec-*

cle-

clesiam vestitu aureo & variegato exornare. Quemadmodum enim varia & preciosissima lapidum, Indicorum inquam species aureis regulis inherescentes admirabile quoddam & spectabile ornamentum adjungunt: Ita quoque sanctorum anima virtutum insignibus decorata splendidissima pulchritudine fulgent, divinitatis oculis, ita ut quisque gratias agat Christo, & dicat: Exultet anima mea in Domino. Induit enim me veste salutis, & tunicam lætitię sponsalem ornatum mihi circum dedit, & quasi sponsę circumposuit mihi mitram. Quę Grotius de Israelitis dispersis & ingenti illorum multitudine, quę exulavit per varias nationes Assyriorum, Medorum, Babyloniorum, Persarum, neque veritati Historicę consonat: nam ab Assyrijs transportati non redire, & in Persia, aut apud Medos tum exulasse Judæos, cum solveretur captivitas Babylonica, ut tanta multitudo inde confluerit ad restaurandam civitatem doceri nequit, neque presentis vaticinio congruit, quia hic non de Judæis sed gentibus accersendis ad Zionem vaticinatur Propheta, ut ἐξήγησις subjuncta testatur.

Vers. 19.

DESERTA TUA ET SOLITUDINES TUÆ.*Loca quę talia per LXX. annos fuerunt.*

Vers. 20.

FILII STERILITATIS TUÆ.*Nati tibi, cum sterilis videreris.*

Vers. 21.

TRANS MIGRATA ET CAPTIVA.*Deserta, abductis civibus, ipso etiam solo in miseram servitutem redacto.*

Has glossas non quadrare textui vaticinij, ex ijs, quę diximus constat. Neque veritati historicę congruunt: nam terra Judæa post reditum è captivitate non erat angusta nimis præhaboribus, imò antea longe copiosiores habuit incolas, cum Israelitarum ingens & innumera multitudo illic habitaret, & terra illis nihil secius sufficeret. Impleta autem illa, cum

accessit ad reliquos fideles Israelitarum multitudo gentium, Ideò filij sterilitatis non sunt, quos genuit, cum steriles videretur Sion tempore captivitatis, sed spirituales filij, quos genitura erat per verbum & Sacramenta, eo ipso tempore, quo videbatur miserrima & ab omnibus deserta Ecclesia. Nam captivitatis tempore tot utiq; geniti non sunt Judaico populo, ut dicere opus habuerit sub reditum in terram suam: *Augustus nimis est mihi locus, fac spatium mihi, ut habitem.* Nec ob illos, qui tum ipsis nati, admirari necessum habuit. *Quis genuit mihi istos, qui me suam matrem agnoscunt & appellant.* Ego destituta & desolata eram, mihi autem isti ubi erant? Ecclesia autem revera tam subita & magna incrementa sumit, ut ad ejus rei considerationem obstupescere cogamur, ut cum una Petri concione tria millia hominum ad Christum conversa sunt Act. II. Ideo Cyrillus ad τὴν νοτιὰν Σιών, quam nos spirituales dicimus, refert. Et Esa. LIV. cap. confert, *dilata locum tabernaculi tui, ne parcas, adhuc in dextris & sinistris extende,* quem locum illustrat tabernaculo Moysis ad omnes plagas mundi extenso, ceu typo amplitudinis sacrorum tenteriorum Ecclesiae. Similiter B. Lutherus: *es tanquam desolata & vastata terra, pauci sunt, qui te sequuntur, sed propugnatores felicissimi. Sed nota propagationem incipere à desolatione & vastatione. Dicent filij sterilitatis tuae. Dicit Ecclesiam esse sterilem, & tamen habere numerosam Sobolem. Fecunditas enim in abscondito est, sterilitas est in specie: Vocationem gentium respici Dominus ipse declarat. ECCE LEVABO AD GENTES MANUM MEAM ET AD POPULUM EXALTABO SIGNUM seu vexillum MEUM: His enim causam reddit, quod Ecclesia sic augeatur. q. d. curabo predicari Evangelium, & quasi extensa manu & sublato vexillo congregabo mihi populum & multitudinem spiritualium militum, confessorum & martyrum, aliorumq; fidelium, qui sub meo vexillo in vera fide & pietate spiritualiter militaturi sunt contra Diaboli tentationem, mundi illecebras, & carnis pravas concupiscentias. ET AFFERENT FILIOS TUOS (hoc est tuae curae committendos, tibiq; inserviendos) IN ULNIS, ET FILIAS TUAS SUPER HU-*

HUMEROS PORTABUNT, quod de infantibus recens natis, qui per baptismum Ecclesiae inferuntur, *Osiander* intelligit: Sed generaliter filij & filiae Ecclesiae dicuntur fideles, qui ad Ecclesiam colliguntur. Ideo promptitudo exprimitur in aggregatione ad Ecclesiam; ut observat *B. Lutherus*. Evangelium non est violenta doctrina, sicut leges sunt; sed suaviter portat in verbo, ut sponte affluant filij non coacti. *Cyrillus* refert tum ad modum teneros in fide tractandi, quod tantum non in sinu gestentur, & in humeros repositi ferantur, ac velut infantes lacte nutriantur: tum etiam ad facilitatem accessus ad Ecclesiam. Quod his, qui ad Sion tanquam ad matrem ire contendunt, accessus sit futurus citra omnem sudorem, quia in gremium assumentur, & in humeris tollentur. Manifesta ergo haec est concio de vocatione gentium, & augenda atq; conservanda Ecclesia, usq; ad novissimum huius seculi diem, ut ait *Brentius* in hunc locum. Cum promississet Sioni, inquit *Cyrillus* habituram ipsam & multos & probos liberos, filiosq; suos eo multitudinis venturos, ut ampliore loco, quam olim, indigerent, & dilatari tabernaculum rogarent: statim demonstrat, non ex Israel solum, sed ex gentium congregatione hanc promissorum ipsi filiorum multitudinem exorituram. Verum hoc quidem est, & ex ipsis rebus licet prospicere. Residuum enim ex Israel servatum est, sed exiguum quidem illud & facile numerabile, sed & irretitus ac captus est per fidem in Christo, orbis terrarum, & Apostolicae atq; Evangelicae praedicationis virtus universae terrae incolas ei adduxit. Quod igitur hoc futurum sit, ostendit: Ecce, inquiens, ego tollo ad gentes manum meam. Significat autem illud Tollo, exalto, extollo, Manus autem fortitudinem aut virtutem denotare potest. Quando enim gentibus innotuit Christus per Evangelicam praedicationem & excelsus factus est & conspicuus propter ea, quae edidit miracula, & per resurrectionem à mortuis, quando signum preciosa crucis exhibitum est, apud eos, qui Deum natura & vere aliquando non noverant: tunc Sion copiosa Sobole aucta & ditata est: tunc undiq; ad eam accurrebant, & sibi mutuo acclamabant hortantes & dicentes: Adeste conscendamus montem Domini, & in Domum Dei Jacob &c.

Ineptum est, quod Grotius hæc pertrahit ad *facilitatem & commoditatem reditus in Judæam*. ET FILIAS TUAS SUPER HUMEROS PORTABUNT. *Quasi in lecticis feret, id est, omnia itineri commoda præstabunt.* At *filia Sionis* non dicuntur Judæorum filia, quæ rediturâ in Palæstinam opus habeant, ut *super humeros*, h. e. interprete Grotio, *in lecticis portentur*: Sed gentes indigitantur, de quibus v. 22. *Ecce levabo ad gentes manum meam*, à quibus liberi afferuntur ad populum Domini, qui filij & filia Sionis spiritualis dicuntur, quia eidem inferuntur & committuntur. Si ad gentes & populos tantum ea fini manum Domini levare & signum ejus exaltari vult Grotius, ut per illas iter commodum præstetur Judæis redituris, nescio an nunquam etiam è nugacissimis Judæis ulli talis glossa in mentem venerit. Nam gentes & populi vocantur, ut ad Ecclesiam ipsimet aggregentur: Unde etiam *radix Jesse in signum vel vexillum populorum stare* dicitur Es. XI, h. e. *Christus ut gentes ipsum deprecetur*.

Verf. 22.

ET ERUNT REGES NUTRITII TUI.

Ut Cyrus, Darius, Artaxerxes, Esdra memorati; Alexander Magnus, successores ejus, maxime Demetrius. Hi enim & in populum, & in Templum plurima beneficia, immunitates, dona contulerunt. Quæ videre est apud Josephum. Adde quæ diximus ad Matth. XXIV. 15. Nutritium pro Nutritore habemus & apud Scriptorem belli Alexandrini.

ET REGINÆ NUTRICES TUÆ.

Ut Esthera, ut Cleopatra Regis Ptolemæi filia nupta Alexandro Judæorum Regi, & alia.

De populo externo & templo materiali tantum sollicitus est cum carnalibus Judæis Grotius. Ideo de beneficiis & immunitatibus, quæ illis obtigere, ea accipit. At cum promissiones sint *spirituales*, & propagatio Sionis spiritualis designetur, etsi Monarcharum aliqui utriusq; Sexus, ad templum & populum

Juda-

Judaicum aliquid contulerint, longè tamen augustiora hic prædici, certum est, quæ sc. ad ampliationem Ecclesiæ Dei faciunt, ad coetus fidelium multiplicationem. Adhæc respici peculiariter *tempora N. T.*, quibus levata ad gentes manus Domini, & exaltatum signum ad populos imprimis fuit per *universalem gentium ad regnum Christi vocationem* è verbis Prophetæ luculentissimum est, quæ proinde illis, quæ à *Cyro Dario Artaxerxe & Esdra* præstita sunt, restringi non possunt. Ideoq; Interpp. Christiani communi calculo hæc imprimis intelligunt de temporibus N. T. Cyrillus, *quando*, inquit, *gentibus innotuit Christus per Evangelicam prædicationem, tunc Sion copiosa sobole aucta & dilatata est; & honore summo & gloria & felicitate circumfluet.* Reges nutricij & Reges nutrices sunt. *Licet enim licet videre, propter dominatorum pietatem honore affectos & omni misericordia dignatos eos, qui in Christum crediderunt, adeo ut nihil aliud quam eorum alumni esse videantur. Si enim in faciem procumbant & adorent Sion, id est, Ecclesiam, & velut in terram extensis manibus projecti, tantum non pulverem pedum ejus lingant, dubium non est, quin ij, qui ad hanc cognitionem proventi sint, & hac pietatis gratia illustrati, illud suis factis adjiciant, ut electos honore afficiant, & qui in Christum crediderunt, eos in liberorum loco habeant. Quo facto non jam ut sterilis & vidua pudore afficietur Sion, quæ quoad Judæos orbata erat liberis, sed gloria erit coronata.* B. Brentius, *Promittitur hic inquit Ecclesiæ hospitium & tutela in imperiis & Politiis seu urbibus hujus seculi, Reges inquit, erunt Nutritores tui, & Regina, hoc est, magnæ urbes erunt Nutrices tuæ. Et si enim Ecclesia subjecta est cruci in hoc mundo, & maxima quæq; Imperia solent maxima mala Ecclesiæ inferre: tamen quia necesse est, ut Ecclesia pia doctrina erudiatur, & ad posterum propagetur: necesse etiam est, ut habeat sua in terris hospitia, & suas sedes, in quibus doctrina Evangelij vulgetur, & posteritati tradatur. Non est quidem Ecclesiæ certus locus & certum regnum, sicut olim posteritati Abrahamæ in hac terra definitum. Postquam enim dictum est Apostolis: Ite in universum orbem, & prædicate Evangelion omni creaturæ: & iterum. Eritis mihi testes*

stes

ftes usq; ad extrema terræ: *Sedes Ecclesie non est ad unum tantum & alterum locum terræ affixa: sed ut ibi est sedes ejus, ubi Deus revelat Evangelion filij sui, & eo transfert sedem, quo & Evangelion transfert: Ita excitat etiam Ecclesie suos nutricios & nutrices Principes videlicet & Respublicas, qui Ecclesiam aut sua opera adjuvant, aut saltem tolerant, & non tyrannicè nec violenter persequuntur: Ideò etiam conversio Regum hic insinuatur, ut monuit rectè B. Lutherus. Significat, inquit, etiam Reges convertendos esse. Sic Carolus M. Theodosius, & alij magni Principes, verbum amplexi sunt, & Ecclesiam liberalibus eleemosynis sustentarunt, conservarunt pacem, defenderunt Christianos à vi & injuria. Sic hodie noster Elector Saxonie Imperium suum confert ad usum Ecclesie, dum fovet Doctores verbi. Acceperunt hunc locum de bonis donatis Ecclesie. Sed ego vix unquam judico, bona Ecclesie propter Evangelium donata esse, sed fraude potius & furtis Pontificum Imperatoribus erepta sunt.* **PULVEREM PEDUM TUORUM LINGENT.** Figurate exprimit reverentiam, quam Christianis exhibituri sunt magni Principes. Optime ergò hic se habet Paraphrasis Osiandrina: *Et erunt Reges nutricij tui, & reginae eorum nutrices tue. i. e. Reges, Principes & Respublice tibi, ô Ecclesia, hospitium in suis regnis præbebunt, de suis facultatibus te liber aliter juvabunt, & omnis generis officia in te conferent.* (Hoc quotidie impletur, cum Principes & Respublice promovent Ministerium Evangelij suis consiliis & facultatibus.) *Vultu in terram demisso adorabunt, & pulverem pedum tuorum lingent i. e. Magno te honore prosequuntur, & humiliter sese subjicient tibi, gratulantes sibi, quod sint recepti in Ecclesiam Dei. Consonant cæteri pene omnes. At Grotius hic cum Judæis facere maluit, & carnalia tantum sapit. Wolffg. Musculus, qui sæpe etiam à Rabbinis corruptus est, ad educationem Danielis & Sociorum in aula Regis Babel hæc refert, imò reliquias universas Israelis, à Regibus & Reginis quasi educatas & nutritas putat, quia non extinctæ sunt, ut Pharaò extinctos cupiebat Israelitas. Sed hic augustiora prædicuntur, & longè alium sensum jam demonstrat Musculi Præceptor Calvinus, qui ita habet in hunc locum*

cum

cum: Quum loquutus esset de obsequio gentium, ostendit hoc non ad plebeios tantum, sed ad Reges quoque pertinere. Reges autem comparat conductitijs hominibus, qui alienos liberos alunt: Et Reginas nutricibus quæ operam suam locant. Cur ita? Quoniam Reges ac Reginae omnia necessaria ad alendam Ecclesie sobolem ministrabunt. Nam cum antea Christum è sinibus suis ejicerent, eum deinceps agnoscent summum Regem, omnemque ipsi honorem, obsequium & cultum exhibebunt. Hoc accidit, quum Deus sese per Evangelium orbi terrarum patefecit. Magni enim Reges ac Principes non solum Christi jugum subierunt, sed etiam facultates suas contulerunt ad erigendam & fovendam Christi Ecclesiam: Ita ut se patronos ac tutores ejus præstarent. Unde observandum est, singulare quiddam hic à principibus requiri præter vulgarem fidei professionem, quoniam auctoritas & potentia iis à Domino tributa est, ut Ecclesiam tueantur, & gloriam Dei procurent. Hoc quidem pertinet ad universos: Sed Reges, quo major est eorum potentia, eo magis sese impendere, & studiosius id curare debent, atque hac ratio est, cur David eos nominatim compellet, atque adhortetur, ut sapiant, Dominoque serviant & Filium osculentur. Conferendus cum hoc loco similis Es. LX. 16. Mammilla Regum lactaberis, quo etiam N. T. tempora respici certum est.

Verl. Eod.

**VULTU IN TERRAM DEMISSO ADORABVNT
TE, ET PVLVEREM PEDVM TVORVM
LINGENT.**

Patet hic. **וְאֵינִי מְהִיבִים** positum pro **אֵינִי מְהִיבִים**, qualis constructio reperitur Exod. XXVIII. 17. Prov. XX. 1. 21. & alibi. Intellige autem per **וְאֵינִי מְהִיבִים** spectabiles in terra, honoratos, quomodo id nomen interdum sumi notant Hebræi ad 1. Sam. I. 4. Pertinet autem hoc ad Principes Idumæe Moabitidis & aliarum terrarum, quas Judæi reversi subegere. Pulverem pedum lingere non est Regum, sed hostium subactorum. Apparet hoc Ps. LXXII. 9. Confer & quod infra est LX. 14. Vestigia adorare hoc dicit Statius, id est, ibi procumbere, ubi alter incessit.

De Phraeos Ebreæ explicatione Grotianâ permittimus
 cuius liberum iudicium. Aliena autem est de principibus *Idu-
 mea, Moabitidis, &* aliarum terrarum applicatio. Neq; docu-
 menta talia ex Historia producta. Et continuatur hic tela pro-
 missionis cepta, quæ uti de fovenda Ecclesia à Regibus agebat:
 ita nunc de veneratione & honore eidem exhibendo sermo est,
 communi calculo Interpp. Non ergò de hostium subjectione.
Pulverem pedum lingere, non est tantum hostium subactorum,
 sed eorum etiam, qui honorem exhibent alteri ex more *Persa-
 rum*, quia apud Reges illorum nemo loqui poterat, nisi prostra-
 tus in terram vestigia pedum Regiorum exoscularetur: Teste
Xenophonte lib. IIX. & *Plutarcho* in Alcib. Nec aliter accipitur
Pf. LXXII. 9. aut *Es. LX. 14.* Nam & ibi de veneratione & submis-
 sione Christo Regi præstanda vaticinatur SS. Ideò recte B. Bren-
 tius. *Nec hoc tantum promittitur, Reges & Principes fore Eccle-
 siæ nutritores, verum etiam fore eos Ecclesiæ subiectos.* Vultu, in-
 quit, in terram demisso, adorabunt te, & pulverem pedum tu-
 orum lingent. Hoc non est intelligendum, quod Reges debe-
 ant osculari pedes Romani Pontificis, & armis tyrannidem,
 impietatem & idololatriam Pontificum tueri: Sed quod non-
 nulli Principes & Reges excitabuntur prædicatione Evangelij,
 ut & ipsi credant in Christum, & jungant sese obedientissi-
 mè cum Ecclesia Christi, & serviant ei, quibus possunt offi-
 ciis.

Verf. Eod.

**SUPER QVO NON CONFUNDENTUR QVI EX-
 PECTANT EUM.**

*Locutio Hebraica, pro quo latine dicas. Cui qui confi-
 dunt non pudefient.*

Sensum hunc non improbamus. Quomodo è
 phrasi Ebreæ erui debeat, docet *Lud. de Dieu* ad h.l.

Verf. 24.

**NUMQUID TOLLETUR A FORTI PRÆDA AUT
 QUOD CAPTUM FUERIT A ROBUSTO SAL-
 VUM ESSE POTERIT.**

Iu

*In Hebræo: Aut eriperetur forti prada, & captivitas
justi evaderet? Sion loquens inducitur, & vix credens
id fieri posse. Captivitas justæ, id est, si qui capti sunt belli
jure. Quod à bello inter gentes indicto fit, id fieri dicitur
κατὰ νόμον δίκαια, & esse δίκαιόν τι, qua de re loca egregia
adduximus, lib. III. c. 10. de Jure Belli ac Pacis. Et propte-
rea qua hic dicitur captivitas justæ, statim dicitur captivitas
violenta sicut apud Romanos in hoc argumento idem & jus
& injuria dicitur.*

**EOS VERO QUI JUDICAVERUNT TE, EGO
JUDICABO.**

*Rectius, contendam cum ijs, qui tecum contende-
runt. Cum Babylonis, quum Idumæis, alijsq; illarum
partium.*

Verf. 26.

ET CIBABO HOSTES TUOS CARNIBUS SUIS.

*Committam illos inter se, Persas cum Medis, deinde
Persas & Medos cum Babylonijs: Qui omnes olim Nabucho-
donosoro militaverunt.*

Quum totam Prophetiam spectare ad beneficia spiritualia
Messiæ & vocationem gentium proxime prædictam esse hacten-
us ostensum sit, glossæ illi Grotianæ à Judæis petitiæ de liberati-
one ex captivitate Babylonica, quamvis eam etiam Musculus am-
plexus sit, locus non est; Sed vi contextus deliberatione è spiri-
tuali captivitate, cujus merito & virtute gentes ad regnum Chri-
sti convertuntur, & efficaciter Satane, qui prædam istam deti-
nuit, eripiendæ erant. q. d. *Qui à Diabolo poterant eripi gen-
tes, quas tanquam prædas captas tenet in sua manu? Justa enim
captivitas est infidelium sub potestate Satana. Id ergo se facturum
testatur Dominus v. 25. quem Christum esse è verbis ejus Luc.
XI. 21. ubi ad hunc locum respexisse omnino videtur, apparet:
Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, qua pos-
sidet, si autem fortior eo super veniens, vicerit eum, universa ar-
ma ejus auferet, in quibus confidebat, & spolia ejus distribuet. Et*

Q 999

qvi

qui hæc loquitur apud Prophetam, se describit, quod sit *Salvator, & Redemptor fortis Jacob & Israelis*, cui ille tutò inniti verà fide potest. *Fortem Israelis* Hieronymus intelligit, *qui cum Israele luctatus est, & auxiliator fuit virtutis Jacob, quod is tum agnoscendus sit Redemptor.* De redemptione per Sangvinem Christi hæc intelligunt nonnulli, quâ è potestate Satanæ liberati sumus Ebr. II. 14. *Horum verborum* inquit Cyrillus, *mens hæc est, Captus est orbis terrarum à Diabolo, & à grege Dæmoniorum, nec erat cuiquam in terra integrum eorum perversitates, tyrannidem effugere. Sed ego, inquit Dominus, detraham & liberabo injurijs affectos.* Verum quamvis redemptio illa ut causa meritorea recte adducatur prædæ hujus per vocationem gentium Satanæ eripiendæ, Ipsa tamen *ereptio actualis è regno Satane*, quæ virtute meriti Christi fit, rectius hic intelligitur. Eodem recidit quoq; Brentij, *ἐξήγνασι*, et si per *gigantem* κατὰ τὸ ἰσχυρὸν intelligat *Reges & tyrannos*, sub quibus sunt gentes ad Christum convertendæ, illisq; quasi eripiendæ, ut Christo se submittant. Quæ *Hieronimi* etiam interpretatio est. Cætera de *judicandis illis, qui judicarunt Sionem, de hostibus Ecclesiæ* rectè accipiuntur, non tamen ad *Babylonios & Idumæos* solum, aut ad antiqua tempora restringenda sunt: imò vi *συνεχίας* N. T. tempora peculiariter concernunt. q. d. *Porro hostes tuos, qui obsistunt tibi, cibabo carnibus suis & inebriabuntur sanguine suo, quasi multo, id est, sibi ipsis erunt exitio, efficiam ut hostes in sua viscera se viant, & sese ipsi conficiant suâ tyrannide.* Siquidem tyranni, dum Ecclesiam persequuntur, non raro sibi metipsis maxima damna inferant, suaq; regna suis ipsorum viribus evertant.

AD
CAPIT L.

Verf. 1.

QUIS EST HIC LIBER REPUDIÏ MATRIS VESTRÆ, QUO DIMISI EAM AUT QUIS EST CREDITOR MEUS, CUI VENDIDI VOS.

Morosi mariti levibus de causis instrumentum divortij uxoribus

*uxoribus dant Deut. XXIV. Patres interdum ere alieno
pressi, liberos vendunt Exod. XXI. 7. Neutrum in me conve-
nit. Restat ergo ut dissidij hujus miseriæ, vestra causa in
vobis hæreat, eam amoliri vestrum est.*

Quia hic de libro repudij quæritur, dubium nullum esse
potest, antecedentia non pertinere ad tempora liberationis Ba-
bylonyca, sed ad N. T. tempora spectare. His enim demum
convenit querela de libello repudij, & de rejectione Judæo-
rum, cujus causæ nunc exponuntur. Video, inquit Judæo-
rum Synagoga, interprete Brentio nostro, *maximam gentium
multitudinem agnoscere Messiam, & congregari ad Ecclesiam po-
puli Dei. Quid igitur accidit, quod nos Judæi abjicimur, &
non recipimur tanta multitudine ad communionem beneficiorum
Messie? Annon fuimus nos hætenus electus populus Dei? Annon
promissus est nobis Messias! Cur igitur nunc à Messia expellimur &
excludimur.* Respondet autem Filius Dei verus Messias hæc
concione, quæ sequitur, & docet culpam rejectionis Judæo-
rum non in se, sed in Judæos ipsos transferendam: Se enim
nihil prorsus earum rerum omisisse, quibus ad cognoscendum
Messiam, & consequendam salutem excitarentur, Sed tantam
esse ipsorum impietatem, ut oblatum Messiam non solum
contemserint, verum etiam in crucem adegerint. *Quis est, in-
quit, hic liber repudij matris vestrae, quo dimisi eam? Vos Judæi
conquerimini, quod ego vos abjecerim & repudiaverim, ut
non sitis amplius populus Dei: sed facitis mihi luculentam inju-
riam. Nam si ego vos repudiavi, agite dum, producite libel-
lum repudij, quo probetis, vos à me repudiatos. Lex enim
est, Deut. 24. quod maritus repudiaturus uxorem debeat ei dare
libellum repudij. Agnovi autem matrem vestram hætenus tan-
quam meam uxorem. Quare, si ego eam repudiavi, quemad-
modum accusor à vobis, libello repudij testificandum erit. De-
inde, quis est creditor meus, cui vendidi vos? Vos accusatis me,
quod ego tradiderim & vendiderim vos alteri, ut jam non sitis
verus populus Dei. Sed accusor à vobis injustissimè. Nam*

si vendidi vos, ostendite foeneratorem, seu mercatorem, qui vos à me emerit. Lex enim Exod XXI. concedit, *ut pater vendat filiam suam*, sed certis conditionibus, ut fiat legitimus contractus inter venditorem & emptorem. Si ergo vos vendidi, agite, ostendite emptorem, qui testificetur se vos à me emisse. Sed mera est calumnia. Profecto enim non mea, sed vestra culpa abjecti estis; Vos ipsi sine ullo repudio, sine ullo legitimo contractu, deseruistis me, & lectamini alienos maritos & Dominos. *Ecce enim propter iniquitates vestras venditi estis & propter scelera vestra, dimissa seu repudiata est mater vestra.* Hoc est, Iniquitates & scelera vestra in causa sunt, cur abjecti sitis, quæ ergo sunt iniquitates & scelera illa, propter quæ judæi repudiati sunt, ut non sint populus Dei? Etsi ea multa sunt & magna, tamen hic recensetur unum tantum scelus, quod, ut omnia alia in se complectitur, ita est longe omnium gravissimum. *Quia veni, & non erat vir: vocavi, & non erat &c.* Quod ita exposuit Hieronymus. *Loquitur ad populum Judaorum super Sion, qui prius dixerat: Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei. Putatis mea duritia matrem vestram, terrenam Hierusalem esse projectam, & quod ego mentis rigida dederim ei libellum repudiij: & non potius quod verum est, intelligitis illam suo à me vitio recessisse? Dicente etiam me ad eam. Quiescite inique agere, discite bonum facere: audire me noluit, sed vertit contra me scapulam recedentem. Unde loquutus sum filiis ejus. Væ illis, quoniam recesserunt à me. Manifesti sunt, qui impiè egerunt in me. Et ad ipsam: Erudiet te abscessio tua, & malitia tua corripiet me & scies quoniam malum tibi sit, quod reliqueris me. Sed forsitan libellum repudiij ostendere non potestis, & aliquis creditor meus exigens pecuniam, me non habente quod redderem, vos in debiti compensationem suscipit! Non est ita: Sed ego ostendam vobis, quamobrem matrem cum filij dereliquerim. Scelera vestra atq; peccata vos Dæmonibus vendiderunt, ut presentis seculi voluptatibus irretiti, & vos parentem, & illam conjugem dereliqueret: Unde adulteram matrem vestram ultra tenere non potui, sed volentem abire, permisi. Quod autem pec-*

catis suis unusquisq; venundatur, dum proprio arbitrio derelicti, nostrâ voluntate vel ad bonum vel ad malum ducimur, & Paulus Apostolus docet: Ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato. Qui enim facit peccatum, servus est peccati; Et quomodo avari & raptores servi sunt mammonæ: Sic omne peccatum dominatur peccatoribus, quibus dicitur: Non regnet peccatum in mortali vestro corpore. Ut autem sciatis non à me repudiata matrem vestram, sed voluntate propria recessisse, post multa beneficia, humanum corpus assumsi: & nequaquam per Prophetas, sed presens loquutus sum: Veni, & non erat vir, sive homo. &c.

Verf. Eod.

QUIA VENI ET NON ERAT VIR.

Quare venienti mihi nemo se sistit? nemo mihi paret.

VOCAMI ET NON ERAT QUI AUDIRET.

Vocanti nemo respondet? Id est, cur non recipitis facturos vos, ad quæ vos excitant Prophetæ.

De inobedientia Judæorum quibus Prophetas misit Dominus, intelligit Grotius: Sed de causa propria agitur reprobati populi Judaici, quæ fuit reprobatio Messie. Ideoq; de Messie adventu & præconio hæc intelligenda sunt. Quod confirmatur porrò, tum ex antegressis: Ibi n. loquutum esse Christum Redemptorem, è conclusione capitis præcedentis constitit. Quia orationem suam hîc continuat: tum è consequentibus. Quia is venisse se testatur, cui Dominus dedit linguam eruditam, cui aurem aperuit & qui corpus suum percutientibus dedit. Quem esse Christum, certum est. Veni, igitur, inquit, id est, interprete Cyrillo, humanitatem indui & apparui Israelitis: & non erat inter illos homo, videlicet cordatus, & qui redemptionis tempus scire posset, vocavi, & non erat audiens. Etenim sic iterum Esaias Propheeta in persona omnium nostrum Servatoris Christi inquit, (Inventus sum his, qui me non quærunt, conspicuus factus sum his, qui me non interrogant. Dixi: Ecce adsum genti, quæ mihi non credidit. Toto die expandi manus meas

meas, ad populum incredulum & contradicentem) *In Evangelicis etiam Scriptis, saepe inveniemus Dominum vocantem ad fidem Judaeos: (Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos) Rursus alibi. (Qui sequitur me, non ambulabit in tenebris, sed habebit lucem vitae.) Certè illis fructuosum & utile esse declarat ut credant. inquit. (Amen dico vobis, quia, qui credit, habet vitam æternam.) Et complura alia congerere quis poterit, in eandem sententiam, siquidem voluerit prolixè rem persequi. Itaq; vocavi, inquit, sed non erat audiens. Quæ causa propria & germana est, cur Judæi reprobati sint. Hæc est illa iniquitas, hoc scelus propter quod Judæi sunt è populi Dei Catalogo deleti vid. quod Christus Jesus Filius Dei in sua venit, & sui eum non receperunt, Joh. I.*

Verf. 2.

NUMQVID ABBREVIATA ET PARVULA FACTA
EST MANUS MEA?

Forte putatis me, si vos faciatis officium, promissa mea non præstiturum, quasi ea vires meas exsuperent. Id refellit.

ECCE IN INCREPATIONE MEA.

Imperio meo, ut Ps. CVI. 9.

DESERTUM FACIAM MARE.

Siccabo, ut hic Chaldaeus habet, & Psalmus dicto loco. Facere hoc possum, si velim. Ostendi hoc in mari rubro.

PONAM FLUMINA IN SICCU.

Ut Jordanem olim, & nunc Euphratis alveum.

Verf. 3. INDUAM COELOS CALIGINE.

Ut Exod. X. 21.

Potentiam suam Deum hic ostendere, & ad miracula in liberatione ex Ægypto patrata respicere, dubio vacat: Sed quia Filius Dei loquitur, cujus imprimis passio descripta hic est, quomodo corpus suum percutientibus dederit, & genas vellicantibus, nec averterit faciem suam à contumeliis & sputis quia de adventu & præconio ejus in his terris, & de causa reprobati populi Judaici agitur, quia potentia Filij Dei miraculis illustratur, ut culpa

malo

malorum populi ab ipso removeatur, non male *B. Brentius* ob-
servat quatuor, quæ Christus in ministerio suo inter Judæos ges-
sit, & quibus testatus est, se & posse, & velle eos, qui in ipsum
credunt, servare, hic proponi, *quod ediderit magna & insignia
miracula, quod docuerit saluberrima, quod fecerit opera divinitus
præcepta obedientissime, quod tulerit mala omnia patientissime*
Primum igitur de miraculis, non deesse sibi testatur potentiam
ad redimendum, ubi per species miraculorum Ægyptiacorum
hic genus intelligendum esse censet Brentius, videl. Filium Dei
tanta majestate potentiam suam in ministerio testari, ut sicut
quondam in liberatione Israelitarum ex Ægypto tanta mira-
cula edidit, ut rerum naturam inverterit: ita nunc in liberatio-
ne humani generis è potestate Satanæ, ea quoq; miracula edat,
quibus se & naturæ rerum dominari, & longe omnium poten-
tissimum Servatorem esse probet. Nota autem sunt miracula,
quæ Christus in terris, cum prædicaret Evangelium suum, edi-
dit, quæ etiam non minus supra, quam naturæ vires efficere pos-
sunt, facta sunt, quam illa in Ægypto. Cæcis visum restitu-
it, Leprosos mundavit, Mutos loqui, surdos audire fecit; &
quod omnem admirationem excedit, mortuos ad vitam exci-
tavit. Quorum miraculorum mentione Filius Dei expro-
brat Judæis suam impietatem, non solum in hoc Esaiæ loco,
verum etiam in Evangelio. *Si non facio, inquit, opera Patris
mei, nolite credere mihi. Si autem facio, et si mihi non vultis cre-
dere, operibus credite.* Et postea Evangelista admirabundus
dicit: *Cum tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum
&c.* Alij de potentia Filij Dei liberandi populum Judaicum è
potestate & jugo Romanorum hæc interpretantur. q. d. Profe-
cto possem vos Judæos tam facile è Romanorum manibus eri-
pere, quam non mihi difficile fuit vestrorum olim majores è Ty-
rannide Ægyptiorum liberare: Sed vestra impia pertinacia vo-
bis meam opem denegat. Utroq; modo aptè congruit hæc divi-
næ manus, vel potentiæ assertio instituto. (Aliam adhuc in me-
dio relinquimus) Rationem *συνεχίας* tradit Hieronymus. *Il-
lud possumus dicere, qui tantorum signorum patrator est, qui*

Rrrr

ca-

cælum, terrasq; & maria suo facit servire nutui, etiam ipse crucem evadere potuerit.

Verf. 4.

DOMINUS DEDIT MIHI LINGVAM ERUDITAM.

*Vere quidem de se hoc dicere potuit Esaias, cujus dictio purissima inter omnes, qui post Mosem fuere, & εἰς τοιαῦτα pulcherrima. Sed loco huic congruentior est interpretatio se-
num LXX, γλωσσεῦ παιδείας, ut & infra 5. Sensus est, dedit mihi linguam aliis instituendis idoneam, Linguam docenti-
um. Chaldaeus hic.*

UT SCIAM SUSTENTARE FVM, QVI LASSUS EST VERBO.

In Hebr. ut norim loqui sermones opportunos his, qui fessè sunt: calamitatibus scilicet.

De Esaiâ hæc cum Judæis accipit. Sed refragante contex-
tu Esaiano. Is n. qui hæc loquitur, *Jehovah.* est infinitæ poten-
tiæ, ut v. i. seqq. constat, quum una sit continua oratio ejusdem
personæ. Quomodo vero Esaiæ convenit dicere, *nunquid ab-
breviata est manus mea?* Porro is qui testatur: *Dominus dedit
mihi linguam eruditam:* aut si malis, *aliis instituendis idoneam,* est
idem ille, cujus caput percussam, genæ vellicatæ, facies sen-
tis & contumelijs turbata. Quæ non Esaiæ, sed Christo con-
veniunt. *Judaizanti itaq; Grotio hic os obturet Hieronymus. Ju-
dæi, hoc capitulum à superioribus separantes, volunt ad Esaiâ refer-
re personam: quod se dicat à Domino accepisse sermonem: quomo-
do lassum errantemq; populum sustentet, & revocet ad salutem, &
in morem parvulorum, qui matutinis horis erudiuntur à Spiritu
S. audiat, quid loquatur, seq; non contradixisse ejus imperio, sed Do-
mino sciscitante: Quem mittam, & quis ibit ad populum istum,
respondisse ei: Ecce ego, mitte me. Et quia dixerit, Audite
verbum Domini Principes Sodomorum, percipite auribus le-
gem Dei nostri populus Gomorræ: in tantum dura perpeffum, ut
non solum verborum contumelijs, sed & plagarum doloribus fuerit*
ex

expositus. Attamen se conscientia jubentis Dei nequaquam esse perterritum, sed juxta id, quod Ezechiel dicitur: Ecce dedi faciem tuam valentio rem faciebus eorum, & frontem tuam durio rem frontibus eorum, ut Adamantem & Silicem dedi faciem tuam, universos eorum impetus contudisse. Hoc illi dixerint, qui omni ratione conantur de Christo evertere Prophetias, & ad perversam intelligentiam prava interpretatione torquere, quasi, etsi hæc de Esaia scripta sint, possint alia super Christo afferre testimonia, quæ ita perspicua sunt, ut clarum sui cunctorum oculis lumen infundant. Ad personam igitur Domini, in qua & superior finitus est liber, etiam ista referenda sunt, quod juxta dispensationem assumti corporis eruditus sit, & linguam acceperit disciplina, ut sciret, quando deberet loqui, quando reticere. Deniq; qui in passione tacuit, per Apostolos & Apostolicos viros in cuncto orbe nunc loquitur. Periphrasis illa quæ Hieronymus notat loci hujus illustris depravatores, si in ullum congruit, certè aptissima Grotio est, QVI OMNI RATIONE CONATUR de Christo evertere Prophetias, & ad perversam intelligentiam pravâ interpretatione torquere. Judicio ergò Hieronymi, quod ipsius veritatis est, hoc vaticinium ita perspicuum est, ut clarum sui cunctorum oculis lumen infundat. Cæterum 𐤀𐤓𐤁𐤀 notare potius eruditorum, quam docentium linguam, vox hæc ex usu recepto, & prout hoc ipso versu in fine repetitur, docet. Nam de eo, qui ab alio eruditur, cui aurem præbet, adhibetur. Quod rectè observavit B. Lutherus. Epitasis est in nomine (eruditam linguam) q. d. linguam discipulatam, quæ nihil loquitur, nisi quod a Deo didicit. Non est lingua Magistri, sed lingua Discipuli. Proinde in fine commatis vertendum, non ut audiam quasi Magistrum, sed quasi discipulum.

Verf. Eod.

**ERIGIT MANE, MANE ERIGIT MIHI AUREM,
UT AVDIAM QVASI MAGISTRVM.**

In Hebræo: A mane ad mane (id est de die in diem) exsultat mihi aurem, ut audientiam præbeam, sicut Doctores

Rrrr 2

mem.

nempe discipulis facere solent. At LXX. ultimam vocem cum sequentibus connectunt, & videntur legisse בלמודי: idem enim valet η παιδεία κυρίως ἀνοίγει μοι τὰ ὦτα, quod ὁ κύριος ἐν παιδείᾳ ἀνοίγει μοι τὰ ὦτα

Verf. 5.

EGO AVTEM NON CONTRADICO: RETRORSUM NON ABII.

Non defugi ministerium, quanquam odiosum, ut Jonas.

Quum de Messia accipienda haec necessario sint, obedientiam ejus, quam vocant, activam describi credendum est. Et profecto nemo est mortalium, qui hoc de se vere testari possit. Dominus mihi erigit mane aurem. Ego non contradico ipsius mandatis, & retrorsum non abii. Omnes enim in multis retrocedimus, atq; labimur Jac. III. Notatur perfecta obedientia, quam solus Christus praestitit, solus prestare potuit Rom. IIX. 3. Verba MANE, MANE non est, ut intelligamus de die in diem, sed more Ebraeis consueti superlativi notionem obtinent, ac si dicat, maxime tempestive, quod ad obedientia perfectionem pertinet, qua Patri suo usq; ad mortem crucis obediens fuit.

Verf. 6.

CORPVS MEVM DEDI PERCVTIENTIBVS, ET GENAS MEAS VELLENTIBVS.

Vellentibus barbam, quod etiam apud Latinos Poetas opprobrii, aut ludibrii habet significationem. Haec autem, & quae sequuntur, dicta figuratè sunt ab Esaia, ut intelligeretur constantem ipsum fuisse in exequendis Dei mandatis, etiam si à Sobna & factione ejus prevalida multum irrideretur. Cæterum voluit Deus hac omnia etiam κατὰ λέξιν impleri in Christo, ut nihil excusationis haberent Judæi, literarum aucupes.

Ha.

Habemus hic iterum insigne documentum *ερεβλότητος* Grotij plane Judaicę. Agnoscit non convenire proprie hæc *Esaiæ*, sed Christo, agnoscit voluisse Deum ea implere *κατὰ λέξιν*, idq; in Christo, & nihilo secius ad Esaiam illa detorquet. Quænam verò obsecro illa ratio, voluit Deus hæc omnia etiam *κατὰ λέξιν* impleri in Christo, ut nihil excusationis haberent Judæi *literarum aucupes*? Nam aut illa prædicta fuere de Christo, secundum intentionem Spiritus S. aut non. Si prius, cur non de Christo hanc concionem intelligit Grotius, cur intentioni Spiritus S. suam explicationem non accommodat; Si posterius, quomodo IMPLERI in Christo potuit, quod de Christo prædictum non fuit, quomodo Judæi *ἀναπολόγητοι* redduntur, si nihil hic de Christo à Propheta ex intentione S. S. prædictum! Ut vero depravationem istam retundamus, quia suam etiam fecit eam *Calvinus, Hyperius, Pelicanus & Musculus*, nec non è Pontificijs *Thomas*, vel quisquis Autor Commentarij illius est, (*Thomæ enim esse negat Corn. à Lapide*) Argumenta hæc observamus (1) *Ε textus συνεχείας*. Quod *Jehovah*, qui negat se repudiasse *Judeos*, aut vendidisse, negat manum suam abbreviatam esse, cujus increpatione exsiccatur mare, qui flumina ponit in desertum, caelos induit caligine, hic loquatur, & à Domino sibi linguam eruditorum datam, aurem apertam esse affirmet, testeturq; se corpus præbuisse percutiendum; qui quis alius esse potest, quam Filius Dei, corpus humanum indutus? Hæc enim omnia coherere, nec à se divelli posse, manifestissimum est, quicquid ogganniant Judæi, & Judaizantes Christiani. (2) *Ε capituli præcedentis clausulâ*. Quia idem Dominus causam reddit reprobati populi Judaici, qui vocationis & ereptionis gentium, ceu prædæ è manu fortis liberandæ, autorem se profitetur. Quî nullus alius est, quam Salvator & Redemptor noster Christus Jesus. c. XLIX. 26. (3) *Ab argumento & materiâ hujus tractationis*. Quia de libello repudiij, & reprobatione populi Judaici, cum gentes assumerentur, sermo est, ejusq; causa constituitur, quod illum, cum veniret, non receperint, cum vocaret, sequi renuerint, cui Deus linguam eruditam dedit, aures aperuit, & quæ

corpus suum passionibus & ignominis exposuit. At Esaię adven-
 tus & vocatio reprobata causa propria non fuit reprobati popu-
 li, sed adventus & vocationis Messię reprobatio. (4) *E lingua
 eruditæ prerogativa*: Quamvis enim & Esaias lingvâ eloquenti
 & erudita instructus fuerit, hic tamen ea *κατ' ἐξοχήν* intelli-
 genda, quę lasso cuivis in tempore oportuno erigendo suffici-
 at: de quâ recte Brentius: *Hic erudita & eloquens lingua Christi,
 & annunciatio Evangelij eius, quo pauperes, miseros & afflictos
 ita consolatur & vivificat, ut in mediis angustiis letitiam, in
 morte vitam consequantur.* Qualem eruditam lingvam non
 relinquit Grotius Esaię, omnia ejus vaticina & promissiones
 de Christo nucleo & medulla spolians. Cæterum propria est
 hæc eloquentia Christo, adeò ut nemo etiam de illa quicquam
 participet, nisi è plenitudine ejus accipiat, *in cuius labiis gratia
 diffusa Ps. XLV. cuius guttur dulce est Cantic. VI. qui unctus est SS.
 & missus ad Evangelizandum miseris, & ligandum corda contrita
 Es. LXI. i. cuius suavitatem & gratiam etiam supra prædicarat E-
 saias c. XLII. 3.* (5) *Ex obedientiæ perfectione summâ.* Quia
aures excitatæ, perforatæ & preparatæ huic Doctori sunt ad obe-
 dientiam non aliqualem, sed qua perfectè lex impleretur, ut è
 collatione *Pf. XL. 7. 8. 9.* manifestum est, quem huic loco paral-
 lelum agnoscit Calvinus. (6) *Ex omnimoda innocentia.* Quia
 provocare audet ad iudicium Dei, quod à nemine accusari, vel
 convinci ulla in re possit. *Juxta est, qui iustificat, quis contra-
 dicit mihi? Stemus simul; Quis poterit mihi iure litem intendere?
 Accedat ad me, prodeat & proferat, si quid habet, de quo me accu-
 sare possit!* Quæ respiciunt graves, sed iniquas accusationes
Pontificum & Phariseorum, Christo in diebus carnis intenta-
 tas, qui verò publicè testari poterat; *Quis me arguet peccati!
 Job. IIX.* Quia non noverat peccatum *2. Cor. V. 21. nec inventus
 est dolus in ore ejus Es. LIII.* Ideò pronunciat de adversarijs su-
 is: *Ecce omnes (illi adversarij mei) quasi vestimentum conteren-
 tur, vel potius putrescent, tinea comedent eos.* Quod in Pon-
 tifices & Phariseos quadrat. Hi enim non modo, cum innotu-
 it Christi innocentia publicè, confusi sunt, sed in peccatis eti-
 am

CAPUT L.

am suis tandem æternum perierunt. (7) *E Regula Hermineutica:*
 Nam à proprietate literæ discedere, ubi nulla nos cogit necessi-
 tas, integrum non est. Quum ergo ex historia nullo documento
 constet, Prophetam corpore percutientibus dedisse, aut genas vel-
 lentibus, faciemq; ab increpantibus & conspuentibus in ipsum
 non avertisse, adeoq; *Grotius, Calvinus & Musculus* ad figuras
 se recipiant, & ita contra regulas rectæ interpretationis præter
 necessitatem τὸ ἤνωτον relinquunt, glossæ eorum minime admit-
 tendæ erunt. (8) *E Judicij executione divina.* Talem enim exe-
 cutionem non humanam, sed vere divinam vindicat sibi, qui
 hic loquitur sub finem capitis. *De manu mea factum est hoc vobis;*
 unde dubitari nullatenus potest, per totum caput Christum lo-
 quutum esse, siquidem una eademq; persona est, quæ testatur,
se corpus dedisse percutientibus, & quæ minatur judicium gravissi-
imum his verbis. De manu mea factum est hoc vobis: Igitur hæc
 Prophetæ nullatenus conveniunt, sed Christo, utpote cui De-
 us dedit omne judicium Joh. V. Quonomine non malè *Corn.*
à Lap. DE MANU MEA q.d. Ego Christus, justus Judex & Vindex,
quem vos indignè tractastis, vos ad hunc ignem damno manus
mea invicta & æterna, quæ proinde ignem hunc vobis in æternum
alet & fovebit. Hæc fors impiorum, qui Christi linguam erudi-
tam audire, illiq; auscultare noluerunt. Quod argumentum ur-
get Zvinglius ipse in h.l. At à manu mea factum est hoc vo-
bis. Nota est, quæ superiorem sermonem Christo Deo propriè tri-
buit. Est autem hæc sententia, vos ignem ultionis vestræ incendi-
stis, sed per manum meam hoc est factum, ut ardeatis. (9) *E comple-*
menti analogia. Nam remittit nos Christus ipse ad Prophetas,
 cum prædicit talia de passione sua Luc. XIIX. *Ecce ascendimus*
Hierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per
Prophetam de Filio hominis. Tradetur enim gentibus, & illudetur,
& contumeliis afficietur & conspuetur, & postquam flagellaverint,
occident eum. Quum ergo id prædictum à Prophetis testetur,
 fore, ut conspuatur, quod etiam impletum in palatio Pontifi-
 cis, cum faciem ejus contegentes exspuebant in ipsum, & cola-
 phis cedebant eum, ut & in prætorio, cum illudentes ei exspuê-

re in faciem ejus, teste Matthæo c. XXII. nuspiam verò id in Prophetis alias prædictum legatur, quam in hoc oraculo, quid certius, quam quod digitum ad id intenderit Christus! De quo Oecolampadius: *Insignes contumelias recitat, nempe conspuitionem, alapas & colaphos, de quibus manifeste apud Evangelistas legitur. Magis autem indicat sputa & alapam, quam coronam spinæam & crucem: nam quum sapientissimè loqueretur illi quasi insipientem alapa percutiebat, quod tanto Doctorem magna ignominia erat, testabantur enim vanum, nugacem impostorem, Christo illa omnia patientur ferente (19.)* E Doctorem Ecclesie $\delta\mu\psi\eta\Phi\iota\alpha$. Omnes enim Patres hæc explicantes, non mystico sensu, sed secundum literam de Christo exposuere, quos allegat Leo Castris vid. Cyprian. Adv. Jud. Athanasius Epist. ad Epictet. Ambrosius de Incarn. Dom. c. V. Hieronymus & Cyrillus in h. l. & c. Quibus consonant non tantum nostrates omnes, sed etiam Pontificij, è quibus Corn. à Lap. hæc verba ita clara esse de Christo ait, ut explicatione non egeant, sed meditatione, nec non è Reformatis tum Discipuli Calvini, Piscator, Junius, Autores summariorum in Biblijs Herbornens. German. & notarum ad Biblia Belgica, & alij, tum Magistri quoq; Calvini, quos ipse hic audire merito debuerat, utpote textui innitentes: Zvinglium dicò; qui ita in Apolog. Compl. sue habet. *Lingvam Doctorem habent Hebræa, suo isto idiotismo, de quo milesies jam est dictum pro, Lingvam doctam. Nihil moramur ista, & quæ sequuntur in Prophetæ persona capi aliquousq;: nam in universum ei non competunt, sed soli Christo, quemadmodum successus patebit. Quomodo & cuivis Prophetæ ista quoq; quæ Christi sunt aliquousq; competunt, at non propriè, sed precario. Dedit ergo Dominus Prophetæ linguam ad increpandum & consolandum doctam. Hinc est, ut strenuè instet. Sed doctissimam & saluberrimam Christo dedit. Ut & Oecolampadius, cujus verba sic habent ad vers. 1. Excecationem Judææ prædicit, propter Christum alapis cesum, & non auditum Judæi hoc caput in Jesaiam exponunt, tametsi ipsi testentur nusquam inveniri scriptum, alapis cesum Jesaiam. Neq; verum est, quod repudiat sunt propter Jesaiam Judæi. Certum igitur quæ-*
re.

vere illos evadendi viam, ne confiteantur Christum crucifixum!
 Digna est tota capitis hujus explicatio, quæ legatur, & ad Cal-
 vini Judaicas glosas refellendas applicetur. Quem Dav. Pareus defendere hic minime ausus fuit, etsi ne omnino taceret,
 adversus B.D. Hunnij Calvinum Judaizantem ogganniret: *No-
 lo me Judicem sistere: PIAM ET PROBABLEM adversarij sen-
 tentiam LIBENTER admitto, sed ut OMNINO CERTAM de-
 fendere non valeo, nec adversarius valet.* At omnino certam a-
 gnovere Zvinglius, Oecolampadius, Piscator, Junius, Herbor-
 nenses, Belga, alijq. Solus hyperaspistes Calvinus, in gratiam
 Præceptoris, hæere ac titubare maluit, quam certitudinem in
 re aperta profiteri. Fatetur, agnoscere Pelicanum & Hyperium
*clarius & magis propriè hæc Christo Domino competere, adeoq;
 agnoscit etiam, simplicissimum fore, ista accipere tanquam à Pro-
 pheta in persona Christi dicta, Calv. Orthod. p. 253.* Et adhuc ta-
 men hæret, an satis certa sit hæc sententia, quod nempe illa à
Propheta in persona Christi dicta sint. At quæ explicatio non
 tantum PIA & PROBABILIS, sed etiam CLARIOR & MAGIS
 PROPRIA, adhæc SIMPLICISSIMA est, eam omnino certam
 esse, quomodo ambigendum! Sed nænias istas discussit B.
 Hunnius in Anti-Pareo altero p. 284. seqq. Nobis redeundum ad
 Grotium.

Vers. 7.

IDEO POSUI FACIEM MEAM, UT PETRAM DUR-
 RISSIMAM, ET SCIO, QVOD NON CON-
 FUNDAR.

*Constantiam animi etiam vultu prætulit. Confer Eze-
 chielem III. 8,*

*Notatur non tantum significatio constantia exterior,
 quo vultu eadem præfertur, sed præpnoia in taxandis ad-
 versarijs infensissimis & potentibus, ac constantissima for-
 titudo, qua ipsam etiam passionem aggressus est quavis sili-
 ce immobilior, non ignarus se resurrecturum, & mi-
 nime confusum iri, unde Luc. XIX. obfirmavit faciem*

Ssss

Sub.

suam, ut iret Hierusalem. Quod notavit hic Oecolampadius.

Verf. 9.

ECCE OMNES QUASI VESTIMENTUM CON-
TERENTUR, TINEA COMEDET EOS.

*Repetendum in posteriori membro quasi: Sic conte-
rentur quasi vestimentum, quod à tinea comeditur.*

*Hæc ad vermem conscientia refert Hieronymus. Et quasi
tinea, ait, comedet eos. Conscientia vid. peccatorum & Zelus
gentium salvatarum. De quo etiam in fine hujus voluminis dici-
tur: Vermis eorum non morietur. Ad perpetuam calamitatem
gentis Judaicę Cyrillus: in vetustatem, in corruptionem & inte-
ritum abibitis multis malis confecti & inevitabilibus, & vos con-
sumet quasi tinea insanabilis calamitas.*

Verf. 10.

QUIS EX VOBIS TIMENS DOMINUM, AUDIENS
VOCEM SERVI SUI? QUI AMBULAVIT IN TE-
NEBRIS, ET NON EST LUMEN EI, SPERET
IN NOMINE DOMINI, ET INNITATUR
SUPER DEUM SUUM.

*Id est, si quis est ex vobis pius, is quamvis in mediis
calamitatibus, ne desinat Dei opem expectare.*

*Observat hic Oecolampadius veram causam reprobationis
populi: Ponit & aliud peccatum Judæorum, nempe impœnitenti-
am. Nam crucifixoribus venia promittitur, siquidem per igno-
rantiam peccarint. Oravit enim & Christus pro eis Patrem: Pater
dimitte illis, quia nesciunt, quid faciant. Petrus quoq; dicit:
Et nunc fratres scio, quod per ignorantiam fecistis, sicut &
Principes vestri. Pœniteat igitur vos & convertimini. Dicit
igitur, si quis è vobis ivit in tenebris, hoc est, peccavit per igno-
rantiam & non fulsit ei lux fidei, & timuerit ille Dominum, & adhuc e-
tiam post tantas ignominias audierit vocem servi Dei, h. e. Christi,
bene confidat in nomine Domini, & innitatur firma spe in Deo.
Non enim derelinquetur. Hęc Oecolampadius. Epiphone-*

ma

ma hoc concernit tum timentes Dominum, ut audiant vocem
 servi ejus, *h. est, Christi Es. XLII. & cum ambulat in tenebris, h.
 e afflictionibus, cruce & morte, & non habent lumen aliquod felici-
 tatis aut tranquillitatis, ut sperent in nomine Domini & innitan-
 tur Deo suo, h. e. Domino nostro Jesu Christo solo vero Servatore
 nostro. Cateri autem sive Pharisei, sive Pontifices, sive Princi-
 pes, sive vulgares, sive Judæi, sive Ethnici, qui contemnunt vocem
 Christi, accendunt sibi ipsis impietate sua ignem, cujus scintillis
 flammis & fulgure perituri sunt. Quod supplicium meâ manu,
 meâ potentia, inquit Filius Dei, accedet vobis. Nihil enim
 certius est, quam quod jacebitis obruti perpetuis doloribus.
 Ergo qui accincti sunt flammis (ita infert Hieronymus) atq; cir-
 cumdati, & sibi incendium roboraverunt, provocantur ad salu-
 tem, & dicitur ad eos: Ambulate in lumine ignis vestri, & in
 flammis quas succendistis, ut in pœnis, atq; supplicijs discant Dei
 potentiam, & redeant ad salutem. Significat autem Judaici po-
 puli vastitatem, qua Romanis traditi sint; & captivitatis jugum
 hoc usq; sustineant. De manu enim Christi hæc facta sunt omnia,
 & in mœrore ac doloribus dormient: quia nec beneficijs nec tor-
 mentis Dei Filium recipere voluerunt. Unde loquitur ad eos: Ite
 in ignem æternum, quem præparavit Deus diabolo & Angelis
 ejus. Ambulant ergo Judæi in lumine ignis sui, & in flam-
 mis, quas accenderunt sibi, & cum mortem subeunt, in dolori-
 bus dormiunt. B. Lutherus refert ad statum Judæorum moder-
 num. In doloribus JACEBITIS, id est, vos Judæi qui fuistis
 instructi ferro & flamma contra Ecclesiam meam, patiemini id,
 quod alios voluistis pati, & nihil eritis nisi miserabilis & laboriosa
 fex populi, non stabitis aut sedebitis, sed jacebitis nunquam surre-
 cturi, sine regno & sacerdotio. Hæc vobis fient de mea manu,
 quem tanquam infirmum Deum contemnitis & repudiatis. Cyril-
 lus de timore æternorum suppliciorum, in quo obdormiunt,
 mœrorem illum interpretatur. Nimis jejuna est Grotij glossa:
 IN DOLORIBUS DORMIETIS, moriemini extorres. Quod
 ita intelligit, quod reducendi non sint cum cæteris in Judæam.
 Longè graviora enim tantis delictis supplicia designantur, cum*

ignem sibi accendunt, id est, iram divinam in se concitant, ut Grotius ipse explicat. Deus enim talibus ignis consumens est Devt. IV. Ebr. XII. Ideoq; dolores exitij & temporalis & sempiterni inferri, credendum est.

AD

CAPUT LI.

Verf. 3.

PONET DESERTUM EJUS.

Ut supra XLIX. 19.

QUASI DELICIAS.

Quasi Hedenem in Hebræo. Vid. Gen. II.

Verf. 4.

LEX A ME EXIET ET JUDICIUM MEUM IN LUCEM POPULORUM QUIESCET

הורא etiam doctrinam significat. Dico inquit, populos, me esse verum Deum, idq; agnoscent, ubi judicia mea in impios viderint.

Verf. 5.

PROPE EST JUSTUS MEUS.

Veniet Cyrus cultor unius Dei.

EGRESSUS EST SALVATOR MEUS.

Qui populum meum liberabit.

MEI INSULÆ EXPECTABUNT, ET BRACHIUM MEUM SUSTINEBUNT.

In Hebræo, in brachio meo confident. Persæ mari adsiti à me sperabunt victoriam. Persæ, ut ante diximus, nullas habebant imagines, quas colerent.

*Refert hæc iterum Grotius univèrsa ad dimissionem populi per Cyrum factam. Sed contra mentem Prophetæ, quem de hac dimissione peculiariter, imò unicè vaticinari, quod Grotius vult, probari nequit. Rectius assignavit argumentum B. Lutherus noster: quod è coherentia cum præcedenti capite elucescit. Pergit, inquit, in consolatione Ecclesie, ex reliquiis Ju-
deo*

CAPUT LI.

daorum & ex gentibus collecta, qua propter verbum affligitur. Tu Ec-
 clesia putas, te desertam viduam esse, & repudiatam à me: Verum
 ne desperes, cum paucitatem tuam & sterilitatem tuam consideras,
 quia is, cui credis, potens est te multiplicare, & ex sterili facun-
 dam facere. Respice effectum Abraham & sterilem Saram, in quam
 numerosam posteritatem excreverint. Porro tu nondum ita despe-
 rata es, sicut Abraham & Sara fuerunt, noli igitur succumbere,
 confide &c. Sic consolatur insigni exemplo Abrahæ, om-
 nes solitarios derelictos, & steriles in speciem propter ver-
 bum. Quem nexum etiam tradidit Cyrillus. Cum objecerit
 satis, his qui adversus veritatem obduruerunt, & futurum illis
 supplicium declaraverit, nisi velint Evangelicis oraculis obsequi, de-
 sinantq; superbum & praefractum mentis suæ collum erigere: com-
 mode exhortationis orationem transfert ad eos, qui ex sanguine I-
 srael crediderunt. Non enim in totum periit gens Judæorum, sed
 conservata sunt reliquia, juxta Prophetæ vocem. Siquidem ut in
 Actibus Sanctorum Apostolorum scriptum est, complures sermo-
 nem de Christo amplexati sunt, & apparitionem gloriæ ipsius agno-
 verunt. Hos itaq; affatur. Atq; ita apprime congruit exem-
 plum Abrahæ, quod non adeò applicari potest tempori captivi-
 tatis Babylonica. Ad tantam enim paucitatem & solitudinem
 tum redactus non fuit populus. ATTENDITE AD PE-
 TRAM UNDE EXCISI ESTIS. Vocem *ἡ* inconcusam fi-
 dem, vel simpliciter, ut Maimonides vult, originem respicere
 notat Grotius: Sed *ἀδυναμία* rei potius designari recte post
 Cyrillum observat B. Lutherus: q. d. quam impossibile, ex saxo
 hominem nasci, tam impossibile erat ex Abrahamo aliquid propagari.
 Et tamen ex illo uno effato & desperato viro vos tantus populus pro-
 pagati estis. Quod etiam respexit *πρωτοβαπτισῆς*, cum De-
 um Abrahamo ex lapidibus filios producere posse dixit Matth. III. 9.
 in memoriam revocans hanc promissionem, ut eadem se erige-
 rent, qui solitarij erant, & numero planè nullo, sub auspiciis
 Nov. Testamenti. Sensum eundem infert quoq; quod additur
 apud Prophetam: ET AD CAVERNAM LACI DE QUA
 PRÆCISI ESTIS, h. e. ad sterilem Saram. Grotius ex He-
 brao

bræo reddit, perforationem cisternæ, id est, uterum, quem Deus aperuit. Naturâ enim effoetus & occlusus erat. **QUIA UNUM VOCAVI EUM ET BENEDIXI EI.** Ad quæ concinne Megalander: *Emphasis est in voce UNUM q.d. noli spectare multitudinem repudiatorum & tuam paucitatem, etiamsi unica & solitaria sit.* Possum enim te facere in maximum populum. Sine dubio autem hoc exemplum Abrahæ magnæ consolationi Apostolis fuit, qui scandalo multitudinis abjectæ movebantur. Hæc Lutherus. Tempori ergo illi hæc commodè congruunt, non perinde tempori exilij Babylonyci. Similiter etiam ista de solitudine, ac deserto; **CONSOLABITUR ERGO DOMINUS (pro antiquissimo illo suo more, atq; eadem ratione) SION (spiritualem) ET CONSOLABITUR OMNES RUINAS (vel potius solitudines) EJUS, ET PONET (seu faciet) DESERTUM EJUS QUASI DELICIAS (quasi Paradisum) ET SOLITUDINES (vastitates) EJUS QUASI HORTUM DOMINI (ab ipso Domino) plantatum Paradisum.** Non adeo deserta erat Ecclesia, neq; tanta solitudo & vastitas tum deprehensa est, quanta sub adventum Messia. De corporali vastitate loci si intelligat Grotius, ineptit. Nam consolatio hic ea promittitur, quæ gaudium & lætitiâ spirituales, gratiarum actionem, & vocem laudis infert. Et fideles non tam è loci pristini recuperatione, quam ab Ecclesiæ felicitate atq; incremento lætitiâ capiebant. *Consolatio, inquit Cyrillus, hic est promissio lætitiæ afficiens; & certam spem asserens & inferens quasi auditoribus, Deo undecumq; congregante eos, qui per fidem vocandi sunt, non fore eam desertam & vastam, sed tanquam paradisum quandam florentem, & arboribus fructuosissimam & fertilitatem habentem intelligibilem, i. e. lætitiâ & exultationem ac confessionem, vocemq; laudis.* Ruinæ Zionis, inquit Brentius, sunt oves perditæ domus Israelis. Has ruinas Christus & Apostoli ejus instaurarunt, cum per Evangelion revocaverunt errantes Israelitas ad veram agnitionem Dei Patris Domini nostri Jesu Christi, & reduxerunt perditas oves ad ovile Ecclesiæ. Deserta autem & solitudines Zionis, sunt gentes quæ jam olim deseruerant

rant

CAPVT LI.

rant veram Dei agnitionem, & ut Paulus ait, *ab alienati à Republica Israelis, extranei à testamentis promissionis, spem non habentes, Deoq; carentes in mundo.* Per Jesum Christum autem hi, qui quondam erant longinqui, facti sunt propinqui. Et ut Propheta ait, *hoc desertum factum est sicut Paradisus & sicut hortus Domini, in quo semper est letitia, gratiarum actio & jubilatio.* Distinguit ergo RUINAS ET SOLITUDINES. Alloquitur autem Dominus eos, *qui persequebantur justum, & querebant Dominum.* Quod intelligi etiam potest de desiderio Messiae. Hic enim est Dominus, quem querebant fideles Marc III. i. unde ejus adventus promittitur. *Prope est justus meus, egressus est Salvator meus.* Quapropter sensum Judæorum, quem Grotius hic sequutus est, merito improbat Hieronymus, cujus explicatio digna est, quæ hic legatur: *AUDITE ME QUI &c. Dormientibus in mœrore ac dolore perpetuo, qui succenderunt sibi ignem, & flammâs robustissimas esse fecerunt; Vos qui persequeimini justitiam & queritis Dominum (significat autem Apostolorum, & per Apostolos credentium chorum) respicite petram i. e. Abrahamum Patrem vestrum: de quo excisi estis: & ad cavernam laci, de qua præcisi estis, i. e. Saram, quæ peperit vos. Et hoc considerate, quod cum unius & centum esset annorum, & sterilem haberet uxorem, multiplicaverim filios ejus, quasi stellas cœli: ita ut numerum vinceret multitudo. Si ergo de uno homine tanta populorum nata sunt millia, quid mihi grande est, ut instaurem ruinas Sion, & desertâ ejus mutem in paradisum voluptatis, & in hortum Domini quem plantavit Deus in Eden contra orientem, & inveniatur in eo pro diversis arboribus, gaudium atq; letitia, confessio & vox laudis? Hoc Judæi ad Zorobabel tempora referunt, quod post Babylonie vastitatem instaurata sit Sion, edificatumq; templum, & antiqua religio reddita. Sed quomodo supra dicitur ad Sion. Afferent filios tuos in ulnis, & filias tuas super humeros portabunt. Et erunt Reges nutritij tui, & reginæ nutrices tuę. Et ecce isti de longe venient, & illi ab Aquilone & Mari, & isti de terra australi, quando dicet Sion: Angustus mihi est locus, fac mihi spatium ut habitem: quæ mediocritatem excludunt illorum*

tem-

temporum, nec super terrena Hierusalem implet a noscuntur. Sic & hic loquitur Dominus ad eos, qui persequuntur, quod justum est: juxta illud, quod alibi dicitur, Quære pacem, & persequere eam. Et iterum: Hospitalitatem sequentes. Et quærunt Dominum, ut ex prioribus conjiciant presentia: quum multo difficiliorem jam facta sint, hæc quæ promittuntur, futura, non dubitent. Addit postea. Et hoc notandum, quod in Sion quæ comparatur paradiso Dei, aliud esse non debeat, nisi gaudium & lætitia, confessio & vox laudis, ut quod in cælis facturi sunt sancti cum Angelis Dei, hoc etiam in terra jugi in Domini laude meditentur.

Porro LEX & DOCTRINA quam à se exituram dicit, non modo cognitionem unius Dei, sed universam doctrinam Evangelij notat, quia de hac accipi solet, cum exitus legis promittitur Es. II. 2. Mich. IV. 2. & advocantur ad eam audiendam Judæi ac gentiles, ceu ad doctrinam salutarem propriam illis, qui justum persequuntur, & quærunt Dominum. ATTENDITE AD ME POPULUS MEUS, ET TRIBUS MEA ME AUDITE. QUÆ LEX A ME EXIET. Ac postea: ME INSULÆ EXPECTABUNT &c. Hieronymus provocari ait gentium multitudinem, quæ est populus Dei, ut diligenter audiant, qui dicantur, de quo Zacharias c. II. Confugient, inquit, gentes multæ ad Dominum, & erunt ei in populum. Adducit etiam aliam expositionem: Sive ut quidam volunt, populus appellatur reliquie ex Israel credentium, & tribus sive gentes hi qui crediderunt ex multitudine nationum, dicente nationibus Mose in Deuteronomij Cantico (c. XXXII.) Lætamini gentes pro populo ejus. B. Lutherus urget, quod nova lex promittatur: adeoq; de doctrina legis Mosaicæ hæc intelligi nequeunt. Hic modum & formam addit, quomodo Ecclesia sit multiplicanda & paranda in hortum, non manibus & vi aliqua, sed nova lege, hoc est, Evangelio, quod non Moses in Judæos tantum, sed ipse Christus per Apostolos suos, in totum orbem sit divulgaturus. Ideo non potest accipi de lege Mose. Et est insignis locus & clarus de abrogatione legis; Promittit enim novum Mosen, legem novam. Ea non potest esse lex ope-

operum, quia talis erat lex Mosis, sed est lex gratia & misericordia, qua justificamur, cum eam fide apprehendimus. Nec verò uspiam vox legis absolute posita doctrinam tantum infert de uno Deo. Et quæ adduntur, κατ' ἐπεξήγησιν dicta sunt. LEX à me exiet, & iudicium meum in lucem populorum requiescet, vel ut LXX. in lucem gentium scilicet erit. Idem ergò lex & iudicium. Doctrina nempe Evangelij, quæ ita describi solet, ut è Ps. CXIX. alijsq; locis notum est, quia docet Dei iudicium, h. e. justitiam, nobisq; affert δικαιοσύνην, quæ ita exitura dicitur, ut in lucem gentium futura sit; Quia per illam gentes illuminari, & ad veram lucem & hæreditatem Sanctorum in luce perducì possunt. Hic lex Evangelij, inquit Hieronymus, ostenditur spiritualis, quæ exiet ex Sion, non Mosis, quæ olim in Sina data est. Verbum *וַיֵּצֵא* quia propriè in Kal significat scindere, findere, rumpere, In Hiphil vertit de Die vius ERUMPERE FACIAM, quia quando mane oritur lux, videtur quasi findi cælum, indeq; infinitis radijs lux erumpere. Sic etiam reddit Jer. XLIX. 19. Nihil hic de iudicio Dei in impios cognoscendo, quæ certe notitia non est lux gentium, quam Prophetæ sæpius promittunt.

Jam quod per JUSTUM & Salvatorem, vel ut in Hebræo, & apud LXX. habetur, JUSTITIAM ET SALUTARE Domini *Cyrum* intelligit Grotius, alienum à Scripturis prorsus est. Nuspiam enim *Cyrum* JUSTITIA DEI, nuspiam SALUTARE DOMINI vocatur. Nomen hoc utrumq; tum seorsim, tum conjunctim Messia: proprium est, eiq; vindicatur c. XLIX. Luc. II. Act. XIII. Et quam jejunum est *Cyrum* dici JUSTITIAM DOMINI, quia cultor unius Dei fuit! Sic enim omnes unius Dei cultores isto nomine honorandi erunt. Notatu digna est observatio Brentij in h. l. Considera, quod Filius Dei in hac concione maluit dicere: Mea justitia advenit, & mea Salus egressa est, quam, Ego adveni, & Ego egressus sum: ut his vocabulis significaret, quæ bona, quæ beneficia secum adventu suo afferat. Non enim venit nudus & inanis, sed affert secum suam justitiam & salutem. Et explicat Dominus ipse, quem intelligat, dum

dum addit BRACHIA MEA POPVLOS JVDICABVNT, h.e. gubernabunt: Nam brachij nomine Filium Dei, qui & virtus Dei dicitur, recte intelligas, cui omne judicium datum est, qui est Rector & Governator populorum. At *Cyrum* per brachia Domini populos judicatura intelligendum esse quis admittet? Audire hic iterum potius debuerat Grotij Hieronymum, quam Judæos suos. Ita enim habet ille: *Ac ne putarem longo post tempore quod promisit esse venturum: infert, prope est justus meus sive justitia. Christus enim à Patre factus est nobis sapientia & redemptor, sanctitas & justitia & omnia, quibus virtus nominibus appellatur. Pulchre quoque dicitur justitia processura, ut nequaquam una gens, sed omnis salvetur orbis. Quod autem Salvator sive salus, quod Hebraicè dicitur מְשִׁיחַ appellatur Filius Dei, qui missus à Patre est: Simeon tenens puerum in ulnis suis loquitur: Nunc dimittis servum tuum Domine, quoniam viderunt oculi mei salutare Domini, quod præparasti in conspectu omnium populorum, lumen in revelationem gentium. Quodque sequitur: Et brachia mea populos judicabunt, sive juxta LXX. ἡγὼ εἰς τὸν βραχίονά μου ἔθνη ἐλπίζουσιν, id est, & in brachio meo gentes sperabunt; Vel hoc significat, quod omnes virtute illius judicentur: vel quod in Christum, qui est brachium & fortitudo Dei, omnes credituræ sunt nationes. Dicitur & in alio loco: Tuum brachium cum potentia. Confortetur manus tua, & exaltetur dextera tua: Et iterum: Cantate Domino canticum novum, salvabit sibi dextera ejus, & brachium sanctum illius. Dextera enim & brachium Domini, ipse est, qui prius perditos salvavit sibi, ut nullus periret de his, quos ei Pater dederat. Quod enim brachium Domini non seculare aliquod brachium, sed vis & potentia infinita Dei, eaque hypostatica, quæ est ipse Filius Dei notetur, è v. 9. liquet. *Consurge, consurge, induere fortitudine brachium Domini.* Quis hic *Cyrum* intelliget? Filium Dei autem excitari, qui ut brachium Domini in diebus antiquis percusserat superbum (Pharaonem,) exsiccarat mare, ac liberarat populum ex Ægypto, Scripturæ analogon est. *Brachiorum* autem Domini nomen plurale vel per enallagen dicitur, vel ad infinitam potentiam Dei describendam.*

dam cum emphasi adhibetur. Ideò *versu 5.* statim cum singulari commutatur, ut designetur Christus. IN BRACHIO MEO CONFIDENT. In quo enim confidendum, nisi in Christo? qui sic etiam nuncupatus est *Es. XL. 10.* *Et brachium eius dominabitur.* Parallela loca illa sunt, & mutuo se declarant. Ideò non opus est, ut cum *Augustino* lib. de *Essent. Div.* per BRACHIUM DEI Patris Filium & SS. Vel cum *Haymone*, *Vatablo* & *Lyrano* Apostolos intelligamus, vel ad brachia Domini in cruce extensa alludi, cum alijs statuamus. BRACHIUM Patris, inquit *Cyrillus*, *Scriptura passim vocat Filium.* *Ejus enim est potentia.* Postea ad v. 10. adducto *Ps. XCVII. servavit eum dextra eius, & brachium sanctum eius:* Addit; *dextra autem & brachium Dei ac Patris non esse potest alius quisquam, nisi Dominus noster Iesus Christus.*

Nec de salute temporali, sed æternâ hic agi ea, quæ de interitu cælorum & terræ, salute fidelium in sempiternum manente dicuntur v. 6. & de lætitia sempiternâ redemptorum omni fugata tristitia vers. 11. satis docent. Hæc enim non conveniunt liberationi temporali, quæ nec omnis tristitiæ & gemitus expers fuit, nec æterna, sed unicè conveniunt beatitudini electorum in cœlis Ap. XXI.

Deniq; quum *Insulæ expectaturæ* dicuntur *Dominum*, perperam id restringitur ad *Persas mari assitas*, quum notum sit *INSULARVM* nomine generatim gentes indigitari; & quæ de fiducia salvificâ agunt, pessimè ad spem victoriæ temporalis abripiuntur. *Expectare* enim ita dicuntur *Dominum*, ac *confidere in brachio Domini*, ut justitiam & salutem ab ipso sibi promittant, nec non lætitiâ sempiternam. *Hieronimus Ecclesiarum ex gentibus multitudinem insulas dici*, observat, vel *animas Sanctorum, quæ in persecutionibus mundi istius, firma in Deum fide solidatæ sunt.* Similiter *B. Lutherus* explicat: *Propagaturæ* *iri Ecclesiam in gentes.* *Insulæ enim pro insularum incolis sumuntur, & pro gentilibus, qui in mari mediterraneo omnes insulas tenebant.* Conf. *Es. XLI, XLII. 4.* *Insulas, ut opinor, inquit Cyrillus, dicit gentium Ecclesias, quæ in medio tanquam*

*mari posita, rerum incursionibus quasi fluctibus agitata, col-
laudationis coronam per patientiam auferunt. Opera-
tur enim patientia probationem, probatio spem, spes autem non
confundit.*

Verf. 6.

CÆLI SICUT FUMUS LIQVESCENTI.

Sidera in Cælo modo apparent, modò latent.

TERRA SICUT VESTIMENTUM ATTE-
RETUR.

Magne terrarum partes hauriuntur à Mari.

ET HABITATORES EJUS SICUT HÆC INTE-
RIBUNT.

Multa loca inculta sunt, quæ plena fuere cultoribus.

SALUS AUTEM MEA IN SEMPITERNAM ERIT,
ET JUSTITIA MEA NON DEFICIET.

Promissa mea manent semper firma.

Insignis perversio verborum, quæ Sole clariora sunt de
interitu cæli & terræ. Non sidera in cælo dicuntur aliquando
latere, cum sc. infra horizontem sunt, sed COELI ipsi dicun-
tur LIQVESCERE SICUT FUMVS, quæ toto cælo differunt.
Non dicitur terra hauriri à mari, quoad partes; sed universa
terra *interitura* designatur TERRA SICUT VESTIMENTVM
ATTERETVR vel potius, *putrescet, dissipabitur*: In Ebraeo
consummatio cælorum exprimitur verbo *יִהְיֶה* *consumentur*,
quod ab Aquila exponitur *μεωθήσεται* in nihilum comminuen-
tur à Symmacho *ἀλιώσονται* in Salis modum conterentur & evane-
scent, in quam sententiam etiam versionem LXX. Interpp. accipi
posse *ὅτι ἡ γῆ ὡς καπνὸς ἐστὶν ἐρεώθη* cælum sicut fumus firmatum
est, Hieronymus autor est, quod nempe omnis cælorum firmi-
tas & robur & fortitudo vento inanissimo & fumo, qui in auras
solvitur, coæquetur. Quæ Ps. CII. 27. alterâ, hic de terrâ adhi-
bitâ phrasi designata est: *veterascent ut vestimentum.* A
Christo verò in loco huic parallelo *interitus cæli & terræ* eadem

voce exprimitur *Matth. XXIV. 35. Marc. XIII. 31. Luc. XXI. 33. cœ- lum & terra transibunt, verba autem mea non peribunt.* Qua vo- ce *παρέχεται* talis præteritio notatur, quæ nullum rei transe- untis relinquit vestigium, qualis est temporis *Matth. XIV. 15. &c.* Ideoq; de interitu & consummatione cœli & terræ Prophetæ verba Dd. Ecclesiæ intelligunt, præeunte *Ireneo lib. IV. c. 6. Chry- sost. in homil. ad Rom. IIX.* Vnde quod de habitatoribus terræ subjungitur **ET HABITATORES EJVS SICVT HÆC IN- TERIBVNT** perperam de locis privandis cultoribus exponitur, quia non tantum interitus habitatorum terræ, sed etiam terræ ipsius, nec terræ solum sed etiam cœli à Prophetâ exprimitur. Non ergò loco ullus supererit, Siquidem consummatio univer- si designetur. Quanquam verò hæc ita conjungantur, ut *interire* dicantur *habitatores, & cœlum liquefcere, & terra veterascere,* non tamen eodem modo se illa habitura sunt *hominum, & universi* interitus, sed quæ utriusq; ratio sit, è Scripturis discen- dum, ideoq; ut obiter id attingamus, non licet concludere cum Hieronymo, *cœlum & terram non perire, & in nihilum re- digi, quia habitatores ita non dispereunt, sed in melius commuta- tum iri.* Sed de eo alias.

Verba **SICVT HÆC**, non ad antecedentia *cœlum & ter- ram*, aut ad *fumum & vestimenta* refert, sed τὸ **HÆC δεκτικὸν** ef- se vult B. Lutherus, *q. pilum aut floccum ostendat Prophetæ.* *Si- xtinus Amama* cum aliis mavult **כִּי כִּמוֹ** reddi **SICVT SIC**, id est, **SIMILITER.** Sed quia fumus & vestis non rectè dicun- tur *mori*, & quia cœlis suum dedit simile, terræ quoq; suum, existimat Ludov. de Dieu, habitatoribus terræ etiam peculia- re suum tribui simile; ideoq; sic vertit: *Quia cœli tanquam fu- mus evanescent, & terra tanquam vestis inveterascet, & habita- tores ejus tanquam pediculus morientur.* Etsi enim alibi non in- veniatur nisi in plurali **כִּי כִּמוֹ** quia nempe usu non veniebat, de uno pediculo agere, certum tamen est, singulare ejus esse **כִּי** cujus notio videtur hoc loco optimè convenire. Sic *Dedievius.* Sed commodè retineri potest B. Lutheri versio, & interpreta- tio, etiamsi non habeatur **כִּי כִּמוֹ** Nam *δεκτικῶς* intelli-

gere possumus etiam vocem *Interibunt sicut sic.* Osiander
Als ein Schniplin. *Habitatores terra* autem intelliguntur im-
 pij, qui non annihilandi quidem sunt, uti cœlum & terra, æ-
 ternum tamen peribunt. Opponitur istis in antithesi perenni-
 tas *salutis & justitia.* Etsi enim *cœlum & terra intereant*, etsi re-
 probi *perirent*, SALUS tamen MEA IN SEMPITER-
 NUM ERIT ET JUSTITIA MEA NON DEFICIET. Quæ
 ita pervertit Grotius, ac si promissio solum liberationis è Baby-
 lone certò implenda designetur. At Propheta JUSTITIÆ DO-
 MINI ET SALUTIS DOMINI perennitatem, quæ cœlo & ter-
 rã pereunte, non deficiet, sed sempiterna erit, indigitat: quia
 salus & justitia eorum, qui in Christum credunt, æterna sunt.
 Non ergò promissionum ipsarum firmitas, sed promissæ salutis
 æternitas hic innuitur: ut gentium fiducia in Christo Domino
 roboretur, cujus finis est æterna salus I. Petr. I. *Est autem ma-*
gni animi, quod hic monet B. Lutherus, *ingentis plerophoria,*
credere, quod justitia, quæ nobis *in nudo verbo promittitur,* major
 & stabilior sit, quam cœlum & terra. Ad quam comparatum cœ-
 lum & terra nihil sunt. S. Cyrillus per *justitiam & salutem Do-*
mini iterum Filium Dei intelligi vult, perinde uti *ejus eternitas à*
divino Lyrico Ps. CII. 26. opponitur cœlorum & terra mutabilita-
ti & interitui. Et observat, ideò tollere in cœlum oculos juberi
 gentes, & *interitum prædici cœli,* quia opinata sunt cœlum esse Do-
 minum, & *Stellas adorarunt,* ipsamq; terram omnium pedibus sub-
 jectam coluerunt, ne nescirent, quæ *producta sint, ut sint, rursus*
dissolvenda esse.

Verf. 7.

AUDITE ME, QUI SCITIS JUSTUM.

Pios, qui inter Ebraeos erant, alloquitur.

POPVLVS MEVS, LEX MEA IN CORDE
 EORVM.

In quorum corde lex mea est.

NOLITE TIMERE OPPROBRIVM HOMINVM,
 ET BLASPHEMIAS EORVM NE METVATIS.

Ne timete, convitia idololatrarum, qui vos vocabunt

nubium adoratores, recutitos, parcentes porcis, insociabi-
les.

De piis inter Ebræos [tempore captivitatis Babylonicæ
hæc intelligit. At quanquam eorum consolationi hæc etiam
cedebant, respici tamen Novi Testam. tempora nexus cum su-
perioribus docet. Ideoq; *Dominum Apostolos & alios fideles*
primos sub Nov. Test. alloqui, Interpp. observarunt: quos eo-
dem modo Christus in diebus carnis suæ allocutus & consola-
tus est, adeò ut verba sua ex hoc oraculo depromsisse videatur,
testatus certè sit, promissam *ἡ ἀληθειᾶ* jam abs se præstari.
Unde *Tertul.* lib. IV. c. Marc. 14. credit, *Christum huc alludere*
demq; dicere, cum ait Luc. VI. 22. Beati estis, cum vos oderint
homines, & cum separaverint vos, & exprobraverint. Nam
ut beatos illos prædicat illos Christus promittens illis merce-
dem in coelis copiosissimam: Ita hic salutem & justitiam æter-
nam ipsis pollicetur. Quum enim impiis persecutoribus per-
eundum sit, qui perpetuis tradentur cruciatibus, vermis eos
comedet, & tinea sicut vestimentum & lanam, pij per justitiam
Christi fide acceptam, & per salutem ejus perpetuo felices & bea-
ti erunt. **JUSTITIA MEA IN GENERATIONES GENE-**
RATIONUM, id est, *perpetua erit.* Quia nihil aliud quam
perpetuitas illa phrasi denotari consuevit: ideoq; vexanda non
est, ac si æternitati & futuro seculo haud congruat. De hoc e-
nim sermonem esse è vers. II. certum est: *letitia sempiterna super*
capita eorum &c: Et idem dicitur hic de justitia & salute æternâ,
quod vers. 6. promissum erat. Hieronymus per hanc salutem
& justitiam *Dominum* intelligit, *permanentem in æternum, sive*
in utraq; generatione prioris, & posterioris populi, qui adventum e-
jus receperunt.

Verf. 9.

INDVERE FORTITVDINEM BRACHIVM DO-
MINI.

Brachium hic est casu vocandi.

Rectè. Excitatur ergò hic brachium Domini à Prophe-
ta. **CONSVRGE, CONSVRGE:** Nam quod in versione
LXX.

LXX. additur JERUSALEM, id illi de suo adjecere: Vnde Græci se torquent (Ebræi textus ignari) quomodo Hierosolymę conveniant, quæ sequuntur, *nunquid non percussisti superbum!* Sed res plana est è fonte. Nam illa de *brachio Domini* dicuntur, h. e. de *Christo*, qui eduxit Israelitas, & miracula ista patravit, quemadmodum è rubo ardenti Mosi, cum ei appareret, ut populum educeret, promiserat *Ex. III.* Excitatur ergò Christus, ut virtute potenti debellet Draconem infernalem, uti Pharaonem olim prostravit, superbum hostem & Draconem marinum, qui Ægypto dominabatur hinc mari, inde rivis Nili coactâ, unde se insuperabilem putabat. Conf. *Es. XXVII. 1.* Ita Hieronymus: *Dominus credentes in se fuerat cohortatus, dicens, Nolite timere opprobrium hominum, & blasphemias eorum ne metuatis, Salutemq; suam & justitiam sempiternam eis promiserat in auxilium, quæ non est alia præter Christum, brachium Domini, de quo supra dixerat, & in brachio meo gentes sperabunt. Unde populus loquitur ad brachium Domini, & ejus deprecatur adventum & promissum implorat auxilium, dicens: Consurge, consurge, induere fortitudine brachium Domini. Consurge sicut in diebus antiquis, & omnem tuam exerce fortitudinem, ut qui per multa secula sanctos tuos de periculis liberasti, etiam nos tua fortitudine protegas. Tu es enim qui percussisti superbum, vulnerasti Draconem, regem videlicet Ægypti Pharaonem, qui & in Ezechiel Draco magnus appellatur. Tu siccasti mare rubrum, ut per aquas vehementissimas & profunda maris viam tuus populus reperiret, & Ægyptios fugeret persequentes. Qui igitur ista fecisti, nunc quoq; redemptos & liberatos sanguine tuo redus in Sion, & in caelestem Hierusalem, sive in Ecclesiam, quam tibi tuo sanguine preparasti: in qua quum fuerint, gaudebunt letitia sempiterna & dicent; Domine ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos. Habebunt enim gaudium atq; letitiam, fugiente dolore & gemitu.*

Verl. n.

ET NVNC.

Etiã nunc.

LÆ.

LÆTITIA SEMPITERNA SVPER CAPITA EO-
RVM.

Corona semper recentes.

In textu habetur: *Et nunc, qui redempti sunt à Domino, revertentur, & venient in Sion laudantes.* Collatio ergò insituitur cum liberatione è manu Pharaonis. Et nunc ita revertentur. Sicut brachium Domini liberavit Ebræos de manu Pharaonis eo submerso, illosq; cum gaudio & jubilo deduxit usq; in Judæam, in Sion, ita nunc idem Domini brachium Christus Jesus à Draconis infernalis potestate redimet nos, ut in Sion veniamus & jubilemus, hic inchoate, perfectè verò in Cœlo: quia additur *lætitia sempiterna super capita eorum, qui redempti à Domino in Sion veniunt, gaudium & lætitiâ tenebunt, fugiet dolor & gemitus.* Quæ trahi non possunt, quod ad sensum literalem attinet, ad liberationem è Babylone. Quia liberati ne quæ SEMPITERNAM habebant lætitiâ, neq; GAUDIUM MERUM & verum, omnis doloris, omnis gemitus experti, quod in hoc mundo nunquam habent fideles, sed obtinebunt demum in futuro seculo, ubi *mors ultra non erit, neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor erit ultra* Ap. XXI. 4. Quo loco verborum Esaiaë interpretationem habemus omni exceptione majorem. Ideo Christus ad hanc excitationem Prophetæ vel populi fidelis veluti per antistropham nunc respondet v. 12. EGO, EGO IPSE CONSOLABOR VOS, adero vobis, opem & solatium, imò salutem & gaudium afferam adventu meo, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis Joh. XVI. 22. Nam & vestri causa in mundum venio, & tamen si mundum ita iterum relinquam, ut non amplius (post ascensum in cœlum) videatis & palpetis me, tamen nihilo minus adero vobis, omnib; diebus usq; ad consummationem seculi Matth. XXIX. ut hic Osiander. Qui etiam si agnoscat consolationem hanc rectè etiam applicari potuisse ad liberationem è captivitate Babylonicâ, intelligit tamen eam de redemptione per Christum factâ. Cyrillus *alludi* ad istam liberationem dicit, sed agi propriè hic de *liberatione Christi*, docet. *Reducentur enim, inquit, à Domino, & venient in Sion,*

Uuuu

que

quæ sc. intelligentia percipitur, id est, Ecclesiam, latentes & gaudentes. Erit enim in capite eorum laus & lætitia, & exultatio eos apprehendet. Coronat enim quasi animas credentium, omniq; eas replet gaudio & exultatione, & lætitia universorum Servator ab ipsis celebratus, illisq; quasi chorda & lyra factus. Ubi autem vocatio est vocans ad pœnitentiam & conversionem, & ad peccati absterfionem, per fidem videlicet in Christo. Ubi Spiritus S. Ministerium est, & gratia, & adoptionis honor, ac infinitorum bonorum fruitio, & regni cœlorum spes, ibi semper est, unde late-mur, fugitq; etiam dolor, mœror & gemitus. Quis enim locus relictus est dolori? Et quibus de causis gemitus esset, ubi gemendi & dolendi nulla prorsus est occasio, imò ubi spes exultationem, lætiti- am, voluptatem, quæ amitti non potest, atq; gaudium in sua quasi potestate obtinet & possidet. Facessat ergò grossa Grotij de semper recentibus coronis, quæ neq; textui, neq; historiæ congruit. Non enim semper recentes habebant victorias E- brai, post reditum, sed multis subjecti fuere afflictionibus, ut è libris Maccabæorum constat.

VERS. 13. UBI NUNC EST FUROR TRIBULANTIS?
Vis illa Chaldaorum?

VERS. 14.

CITO VENIET GRADIENS AD APERIENDUM.

In Ebræo: Festinabit vinc-tus ut solvatur, populus ca- ptivus, per Zorobabelem: nam preces suas ad Cyrum deferet.

NON INTERFICIET USQVE AD INTERNECIONEM.

In Ebr: Non morietur in fovea: non interibit in miserijs.

NEC DEFICIET PANIS EJUS.

Viaticum illi non deerit.

Iterum ad Cyrum hæc rapit Grotius, & ad Chaldæos. At tribulantis nomine Pharaonem potius indigitari, superiora docent: q. d. ut furor Pharaonis Ebræos persequentis absorptus est à mari, ita & furor persequentium te mox absorbebitur, & e- vanescet. Non ergò cum Judæis ad liberationem è captivitate Babylonica hæc trahenda, sed, quum antecedentia de libera-
tione

CAPUT LI.

tione Christi agant, hæc similiter explicanda erunt, cum ple-
 risq; Christianis Interpp. Ebræa concisè posita **מְרַצוּעָה לְהַפְתָּהּ**
 variè exponuntur, quo de videatur *Amama* ad hunc lo-
 cum. Etiam si autem maxime assumeretur translatio Grotij, cui
 congruit *Pagin: Itallica, & Hispanica versio:* Non tamen po-
 puli captivi festinatio in precibus ad Cyrum deferendis notaretur,
 quum nihil de Cyro antea traditum sit: siquidem ad Deum fe-
 stinare precibus intelligi possit. Munsterus ad h. l. *Est locus*
iste multum obscurus. Quidam Ebraorum putant hunc continere
sensum. Qui sic premitur à Tyranno & quasi in arena carcere
vinctus tenetur, si patienter sustineat, post modicum tempus aperi-
etur carcer, evadet mortem & habebit unde vivat. Kimchi
 exponit **רַצוּעָה** pro **טְרַטְרָה** discursu, vel vagâ habitatione, qua-
 lem hodie Judæi habent, qui nullibi certam & tutam habent
 mansionem. Et id quoq; est captivitas. Et talis fere olim fu-
 it status Christianorum inter gentes, quorum Propheta hic
 meminisse videtur. Hieronymus *gradientem* interpretatus est:
 quia **רַצוּעָה** notat etiam *grassantem*: Idq; intellexit de Christo.
Ubi est ergò nunc persecutorum superbia? ubi potentia secularis,
qua in te ore rabido seviebant? Cito veniet filius meus, gradientis
& conculcans adversarios tuos, ut aperiat tibi viam victorie, si-
ve ut inferos reseret, qui non interficiat usq; ad internecionem
sed velit salvare conversos. Deniq; panis illius, qui interpretatur,
Evangelio probante, Doctrina, nunquam deficiet, sed semper volen-
tibus ad vescendum patebit. Qui sensus non inelegans est, &
favere videtur ei, quod v. 15. dicitur DOMINUS EXERCITU-
UM NOMEN EJUS **יְהוָה** Sic enim habetur in Ebræo, non
יְהוָה nomen meum. Corn. à Lapide sic exposuit *cito veniet bra-*
chium Domini, id est, Christus potens bellator, gradientis & concul-
cans adversarios tuos, ut carceres aperiat, indeq; te jam ad mor-
tem damnatum educat, ut fecit Petro Act. XII. II. NON INTER-
FICIET, id est, non permittet Tyrannos interficere fideles usq;
ad internecionem. Vatablus ita reddit QUIN FESTINABIT
(vel dabit operam, nempe ubi advenerit Christus) DISCUR-
RENS (*vagus, exulans, subintell. in regno Christi*) ut **APERIA-**
TUR

TUR (solvatur à vinculis sc. peccatorum) ET NON MORIATUR (vinctus) IN FOVEA, NEQUE DEFICIAT EUM COMMEATUS (*panis ejus*, id est, verbum Domini & doctrina.) B. Lutherus tamen ad Pharaonem hæc refert. *Hunc locum, inquit, sic verte: Ubi nunc est furor tribulantis? Dum acceleraret & discurreret ad aperiendum (h. e. ad dimittendum populum Israel) ipsi autem (scilicet populus Israel) non moriebantur in foveâ, nec deficiebat ea (id est, populum) panis, sic etiam Brentius: Sed quæso te, ubi nunc est furor istius tribulatoris! Annonne compecebam eum egregiè! Eo enim necessitatis adigebam eum suppliciis, ut cum nullis verbis persuaderi potuerit, quo te liberum dimitteret, tandem festinabundus discurreret, ut non solum te liberum, ne ad internecionem perires, dimitteret, verum etiam magnas opes in te conferret, ne tibi panis seu commeatus deesset. Et Osiander. Ubi (nunc) est furor tribulantis, Pharaonis, dico, Regis Ægyptiaci, qui populum Dei gravissimè olim afflixerat? Cito veniet, Hebr. Festinavit gradiens ad aperiendum i. e. Festinavit tandem, ut dimitteret Israelitas, neq; tantum Ægypto egredi eos permisit, sed & coegit, & non interficiet usq; ad internecionem (i. e. Israeliticus populus non moriebatur cum primogenitis Ægyptiorum) nec deficiet, rectius, nec deficiebat panis ejus (populi Dei, i. e. quamvis festinanter Ægypto excederent Israelitæ, tamen in deserto non necesse habebant fame perire. Cum enim consumptus esset commeatus, quem ex Ægypto secum exportarant, successit mox Manna cælestis. Musculus ipse, etsi pronus in Judaicas glossas, illam Judaicam explicationem quam arripuit Grotius, reprobavit: Potest legi: Ubi est, vel ubi erit furor affligentis? q. d. Evanescet, nusquam erit, irritus reddetur. Hoc sensu intelligendum erit de futura Babylonis everfione, quo omnis illius furor erat extinguendus. Referunt tamen alij nonnulli ad cladem Assyriorum, qua furor illorum manu Angeli extinctus est. Et hi legunt: Ubi est jam furor affligentis scilicet Assyrij? Mibi tamen eorum expositio magis placet, qui referunt ad furorem Pharaonis, cui sensui sequentia favere videntur. Qui festinabat gradiens ad aperiendum, ne moreretur internecione, nec defecit panis ejus.*

Loquitur de Pharaone qui populum Israel in Ægypto durissima captivitate afflixerat, de cujus furore percontans dixit, & ubi furor affligentis? Subjicit, qui festinabat gradiens ad aperiendum. Vocula **רָחַץ** i. e. qui desideratur in Ebreo. Quomodo autem Pharaon tot plagis percussus post eadem primogenitorum festinaverit ad aperiendum, hoc est, dimittendum captivos Israelitas ne morerentur interneccione Ex. 12. videre licet, ubi sic legitur: Urgebantq; Ægyptij populum Israelem, ut de terra velociter exirent, dicentes: Omnes moriemur. Dubio procul, festinabant gradientes, id est, cursores, qui mittebantur, ut urgerent Israelitas ad egrediendum celerrimè. Timebant enim, nisi hoc fieret, futurum ut ad interneccionem usq; morerentur omnes. Viderant hoc Israelitæ, verum nec ipsi majori mente retinuerant, nec posteri de illo cogitabant. Nec defecit panis ejus, inquit. Intelligit de eo, quod redemptum populum toto illo tempore, quo commoratus est in deserto, panis de cælo non destituit. Angustius est, quod nonnulli referunt ad farinam, quam populus ex Ægypto secum asportavit. Est hic versus obscurus. Sensem expressi, qui mihi post nonnullos alios, Germanicum etiam Interpretem, visus est esse simplicior. Lyranus exponit de Anti Christo ad hunc modum: Citò veniet, i. e. velociter attinget gradum suæ potestatis, gradiens ad aperiendum, pessimum sc. intentum suum contra Christum. Et non interficiet ad interneccionem, Christianos scilicet, morte repentino præventus, nec deficiet panis ejus, i. e. non morietur fame, sicut nec gladio, sed Domini nostri Jesu Christi verbo. Sunt qui exponant de acceleranda liberatione exulum è Babylone. Et hi legunt: Festinabit exul ut solvatur, nec morietur in fovea nec deficiet panis ejus. Et ego Dominus Deus tuus dissecans mare. Annectit historiam dissectionis maris rubri, ut in memoriam illis revocet, quomodo majores ipsorum ex Ægypto liberati sicco pede per maris fundum fuerunt traducti. Has illis historias refricat, quo futuris sese rebus melius accommodent. Illud, ut sonent fluctus ejus, ad hoc est adjectum, ut dissectionis hujus vehementiam exprimat, quæ facta fuerat per vehementem urentemq; flatum, sicuti Ex. 14. videre licet:

Uuuu 3

soni-

*Dubio procul non est ista dissectio maris sine maximo fluctum illius sonitu ac fremitu facta. Hæc Musculus. Hunc ergò sensum à B. Luthero traditum ceu simplicissimum, retinendum censemus, ideoq; verba vers. 15. ita reddimus juxta usitatum Ebraicum. Ego Dominus Deus tuus findens mare &c. Cujus nomen, Dominus exercituum, ne ad aliam quam loquentis personam referatur. Erravit Grotius, quod quæ in præterito dicuntur, & ad ea, quæ facta sunt olim, respiciunt vi contextus, ad futura abripuit, imo etiam in futuro transtulit contra officium boni interpretis. FESTINABIT, VINCTVS ut solvatur: Quia in Hebræo est **פָּרַח** FESTINAVIT.*

VERS. 16. POSUI VERBA MEA IN ORE TUO.

Per Prophetas promissa mea tibi dedi, quæ subinde recites.

Non apparet, ad quem hic sermonem dirigi proprie crediderit Grotius. *Judei, Hugo & Musculus* ad Prophetam hæc dici volunt. *Chaldeus* ad Prophetas, *Hieronymus & Vatablus, Forerius, Vatablus, Adamus* ad Christum, *Cyrillus, Procopius & Sanctius* à Christo ad Apostolos, virosq; Apostolicos, *Corn. à Lap.* ad Christum dicta vult, sed ut sub Christo intelligantur Christi fideles & Apostoli. Nostri autem *B. Lutherus, Brentius, Osiander, Pappus* ad Ecclesiam vel Ministerium verbi in N. T. dicta censent. Quæ sententia præferenda, ut pote textui Prophetico & Ministrorum verbi officio consentanea. Ad Judaicum populum referre videtur Grotius, cui promissa dedit Deus, quæ subinde recitet, sed VERBUM PONERE IN ORE DEUS dicitur, non cum nos verbum Dei recolimus, aut qui id audire, recitant, sed cum verbi Ministris id indit, & quomodo eloqui id debeant, suggerit *Act. II. 4.* Non enim tantum animo ipsorum conceptus imprimat, sed etiam verba ori indit, quibus eos efferre debeant, quod *πρώτως* immediate fit in extraordinariè missis, quales erant Prophetæ, & Apostoli, *δευτέρως* & mediate in illis, qui ordinariè mittuntur. *Conf. Exod. IV. Matth. X. 16. Vers. 17.*

IN UMBRA MANUS MEÆ: PROTEXI TE, UT PLANTES COELOS ET FUNDES TERRAM.

Viden-

*Videntur mihi LXX. optimè vertisse: ἐν ἧ ἔρησα τὸν ἔρα-
νον καὶ ἐθεμελίωσα τὴν γῆν. Illâ manu te protegam, quæ sa-
tis valida fuit ad constituendum cœlum, firmandamq; ter-
ram. Est in Ebræo ellipsis non magna.*

Textus planè pervertitur per istam *non magnam*, ut vocat,
ellipsis, verè fictitiâ. Quæ vel ex eo refellitur, quod effectus
verbi Dei in ore Ministrorum positi non minus hic constitua-
tur *plantatio cœli & fundatio terræ*, quam *constitutio populi Do-
mini*. Frustra ergò illa plantatio & fundatio ad primam crea-
tionem cœli & terræ detorquetur. Pulchre autem ista explicat
Brentius, Ministerium enim Evangelij organon illud est, quo
filius Dei plantat cœlum, & fundat terram. Quid posset de
hoc ministerio excellentius dici? Nam filius Dei colligit sibi
hoc ministerio cœlestes cives & cohæredes cœlestium bono-
rum. Hoc vere est plantare cœlos. Quotquot enim recipi-
unt Evangelion Christi per fidem, fiunt quasi novæ plantæ pa-
radisi & regni cœlorum, ut ferant fructum perpetuæ vitæ. Sed
& terram fundat hoc Ministerio, quia constituit, ordinat, ac
etiam transfert regna hujus terræ. Quæ solent plerumq; me-
ditari exitium Ecclesiæ & Evangelij ejus. Fit autem semper divina
dispensatione, ut magis Evangelio, etiam præter voluntatem
ipsorum, serviant. Quod si vero Regnum aliquod hujus terræ, eo
tantum propendet, ut tollat è mundo Evangelion Christi, tunc
nihil certius est, quam quod ruina ejus sit in propinquo.
*Gens enim & regnum, inquit alias Propheta, quod non servierit
tibi, peribit, & Gentes solitudine vastabuntur.*

Verf. Eod.

ET DICAS SIONI: POPULUS MEUS ES TU.

*Et ad dicendum Sioni: tu (rursus) mihi eris po-
pulus.*

Hic de suo interserit Grotius vocem RURSUS, ut obtine-
at, sermonem esse de *reædificatione urbis*. Sed de spirituali Si-
one agitur, quia tum cœlum plantandum, fundanda terra di-
citur, tum Sioni dices, **POPULUS MEUS ES TU.** Quum enim
popu-

populum sibi colligit, plantatur cœlum & fundatur terra. Ideo B. Osiander ita *ωραγαφραζει*; Ego reformabo & restaurabo terram, & cœlum tanquam paradisum plantabo, colligendo nimirum per Evangelij ministerium è regnis terræ Ecclesiam, qua repleatur cœlum, ut sint electi mei instar pulcherrimarum arborum in Paradiso Dei. Unde & profitebor coram Patre cœlesti, hos esse meos electos, quibus paratum sit cœlum. Quin & in hoc seculo confirmabo eos in fide, ut certi sint, se esse Filios Dei.

Verf. 19.

DUO SUNT QUÆ OCCURRERVNT TIBI!

Quæ in te irruerunt. Hæc duo sunt fames & cædes: sed utrumq; bis nominat: idem enim sunt vastitas & fames: item contritio & gladius.

Alij vocem duo vel DUPLICIA explicant MULTIPLICIA, quos sequitur Osiander: quia hic non tantum duo, sed plura recensentur mala, VASTITAS ET CONTRITIO ET FAMES ET GLADIUS: Neq; necessum est ut vastitatem & gladium, famem, & contritionem κατ' ἐπεξήγησιν accipiamus. Nam neq; fames & contritio, neq; gladius & vastitas æquè latè patent. Et adjiciuntur præterea alię calamitates. FILII TUI PROJECTI SUNT (defecerunt viribus) DORMIERUNT (jacuerunt semianimes) IN CAPITE (principio) OMNIUM VIARUM &c. Hæ autem calamitates quomodo complementum habuerint, explicat Cyrillus. *Mali, inquit, malè perierunt: Partim devastata cuncta eorum regione, & simul cum Hierosolymis incenso ipso templo celebratissimo: deinde etiam à spe in Deum decidentes, & à grege sanctorum expulsi, his, inquit, omnibus tibi accidentibus, & plenissimo furore velut inebriata tibi nemo tuorum liberorum adfuit, non erat, qui manum tuam apprehenderet, nemo qui consolaretur. Et porrò: Plurima mala, quæ Judæis contigerunt, enumerare licet, captivitatis tempore: sub Vespasiano, inquam, & Tito: quum tota Judæorum Regio conflagravit, & nullum calamitatis genus illis defuit, sed ad summum quasi omnis mali fastigium pertigerunt.*

Verf. 23.

Verf. 23. PONAM ILLVM IN MANV EORVM
QVI TE HVMILIAVERVNT.

Qui te afflixerunt.

Hieronymus promissiones hasce ὡς ἔτι κωσ accipit, si scilicet Hierosolyma se converteret, IDCIRCO AUDI &c. ὦ Hierusalem cui dixi: Elevare: elevare, consurge & age poenitentiam, quia bibisti de manu Domini calicem furoris ejus, & epotasti eum usq; ad feces, & filij tui qui in toto orbe dispersi sunt, ductiq; captivi jacuerunt in plateis, & in capitibus viarum, scito te esse pauperulam & humiliatam & ebriam, non à vino, sed furore Domini. Idcirco si egeris poenitentiam, & elevata surrexeris, scies calicem soporis & ruinae, sive juxta Symmachum & Theodotionem Macerationis & commotionis, de manu tua esse tollendum: & condy pro quo & in hoc loco Symmachus craterem interpretatus est, te ultra non esse bibituram, sed tradendum adversariis tuis, qui dixerunt anima tua, incurvare ut transeamus, illisq; dicentibus voluntate propria incurvata es. Et posuisti quasi terram corp9 sive dorsum. Vel juxta LXX. media & cervices tuas foris transeuntibus. Hoc juxta historiam dictum sit, quod Hierusalem, si elevare se voluerit atq; consurgere, nequaquam bibat calicem furoris Domini, nec patiatur ultra que prius sustinuit. Non opus autem est, ut hypotheticè intelligatur. Certum est, quod de primitiva Ecclesia in Hierusalem collecta agatur hoc capite, uti ostensum haectenus, & pleriq; Interpp. Hieronym. Cyrillus, Haymo, Vatablus, Lutherus, Brentius, Osiander, alijq; consentiunt. Quia verò in urbe erant tum increduli, tum fideles reliquiae Israelis, istorum respectu intelligenda, quae de ebibendo calice USQUE AD FUNDUM ET USQUE AD FECES minatur Propheta, & de calamitatibus, omnis auxiliij & solatij expertibus. NON EST QUI SUSTENTET EAM EX OMNIBUS FILIIS QUOS GENUIT, ET NON EST QUI APPREHENDAT MANUM EJUS EX OMNIBVS FILIIS QVOS ENVTRIVIT. Quae de novissima calamitate intelligere oportet. In exilio enim Babylonico fuerunt Zorobabel, Nehemias, Esdras & alij Duces liberationis. Fuerunt & Prophetae consolatores, Ezechiel, Daniel, & postea Haggæus & Zacharias. Quod

vero *ad fideles* attinet, illos consolatur Propheta versibus postremis, & sub initium sequentis capitis: quia etsi planè deleatur Judæorum Respubl. & Synagoga, florere tamen ex reliquiis eorum cepit Ecclesia, ob quam exclamat Popheta: **ELEVARE, ELEVARE, CONSURGE HIERUSALEM.** Quæ fuit restauratio Hierosolymæ & Sionis non quidem corporalis, sed *spiritualis*. Transit itaq; è Jerusalem non credente & excisa ad credentem Christo succrescentem, sive à Judaica ad Christianam. Sicut enim idem est populus v. 9. Romanus olim gentilis, nunc Christianus, sic eadem est Hierusalem, olim Judaica, nunc Christiana, præsertim quia hæc è Judæis primitus cepit, & collecta est, ut ex *Hieronymo, Cyrillo, Haymone, Dionysio, Forerio, Adamo Sasbouth, & Vatablo* explicat Cornel. à Lapide, & alij, quo de Hieronym. ad Es. LII. 9. *Ducto in captivitatem* populo Judæorum, & urbe succensa, aut nullus erat in Hierusalem habitator, aut nullus. Postquam autem prius loquebatur in Prophetis, & erat in principio apud Deum, Deus verbum habitavit in nobis, & caro factus est: *instaurata sunt deserta Hierusalem, & venit ille de quo scriptum est: Hic ædificabit civitatem meam, & captivitatem populi mei reducet; ut nequaquam plangatur ab Hieremia: Quomodo sedet sola civitas, quæ erat plena populis, facta est quasi vidua quæ erat multiplicata in gentibus: Sed audiat David canentem: In convertendo Dominum captivitatem Sion, facti sumus tanquam consolati. Et post paululum: Facti sumus lætantes. Et ut sciamus nequaquam hæc dici de populo Judæorum, sed de omnibus, qui per Apostolos in Dominum credituri sunt, ponit & dicit: Qui consolatus est eam, sive misertus est ejus, & qui eruit vel redemit eam, ipse paravit, sive revelavit brachium sanctum suum, in conspectu omnium gentium, & videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. Ex quo perspicuum est, exstructa per Apostolos spirituali Hierusalem, id est, Ecclesia, quæ à Judæis fuerat derelicta, revelari brachium Domini cunctis gentibus, & videre salutare ejus omnes fines terræ. Quod dicitur & PONAM ILLUM (CALICEM) IN MANU EORUM QUI TE HUMILIAVERUNT, impletum fuit, cum auctores excidij Hierosolymitani miserè perierunt. Vid. Leo Castrius.* *Ad*

ET PERTRANSEAT IN TE INCIRCUMCISUS
ET IMMUNDUS.

Quales erant Assyrii, & Aegyptii, & Chaldaei. Vide II. Reg. XVIII. XXIII. 33. 34. XXIV. XXV.

De terrenâ Hierosolymâ hæc ἰδιαν ἐπίλυσις vel commenta Judæorum sequutus, explicat Grotius. Dictum autem est de *Zione spirituali* superius egisse Prophetam, de quâ porrò eundem agere, quia oratio ejus continuatur, certum est. Neq̄s de terrenâ urbe dici poterat, non pertransituram per eandem *incircumcisum & immundum* post cladem Babylonicam & liberationem ex eadem: siquidem ab incircumcisis multa passa sit, tempore Antiochi, & in novissima clade. Nec unquam tam bene actum fuit cum urbe Hierusalem, quod omnes cives & incolæ fuerint verè justis & mundi. Pertinent ergò hæc magnificæ promissiones ad *spiritualem Sionem*. Quod ex iis, quæ capite hoc sequuntur, porrò constabit. Probat id Hieronymus. *Cui supra dixerat, Elevare, elevare, consurge Hierusalem; Nunc eidem loquitur: Consurge, consurge, induere fortitudine tua Sion. Quæ sit autem Sion, sequens versus ostendit: Induere vestimentis gloriæ tuæ Hierusalem. Hoc diximus, ut Hierusalem & Sion unam probemus urbem. Precipit usq̄ ei, ut lugubria vestimenta deponat, & induatur his, quæ habuit antequam biberet de manu Domini calicem furoris ejus. Appellaturq̄ civitas sanctuarij, hoc enim sonat propter templum, quod in ea conditum fuit. Sive sancti propter notitiam Dei; vel sancta, quia sola in orbe terrarum acceperat legem. Unde & post resurrectionem Salvatoris apparuerunt corpora mortuorum in civitate sancta. Quæ utique propter blasphemiam & missas in Dominum manus, sancta esse non poterat. Quodq̄ promittitur: Si surrexerit post ruinam, & induta fuerit fortitudine & gloria sua, & nequaquam ultra transiturum per eam incircumcisum & immundum: Hoc significat, quod & Paulus Apostolus dicit, quæ participatio justitiæ cum iniquitate? Quæ societas luci ad tenebras? Quæ conventio*

Christi ad Belial? Quæ pars fidei cum infidei: Quis consensus templo Dei cum idolis? Refellit ergò Hieronymus Judæos, & in eis Grotium: *Omnia autem quæ promittuntur Sion, & Hierusalem non ut Judæi somniant, ad lapides illius & cineres favillasq; dicuntur, ut instauretur in pristinum statum: Sed ad populum Hierusalem, qui occidit Prophetas, & lapidavit eos qui ad se missi erant, & ad extremum etiam in filium Dei misit manus. Qui corruens in passione Christi, in resurrectione illius suscitatus est, quando multa millia crediderunt è Judæis, & reliquia salvæ factæ sunt. Eadem & de Ecclesia possumus dicere, quæ visio pacis & specula, si in hæresin corruerit, jubetur exire, & pristinae fidei ornamenta suscipere. Et si fuerit suscitata, sanctitatis ei & continentia præmia promittuntur, ut nequaquam per eam transeat incircumcissus & immundus. Quod non ad carnis concisionem atq; præputium, sed ad operum immundiciam referrî potest, ut incircumcissos & immundos vocemus, qui corporis voluptati & libidini serviunt. Deniq; ad circumcissos carne, non spiritu loquitur Hieremias: Omnes gentes incircumcisæ carne sunt, filij autem Israel incircumcisi sunt cordibus suis. Quid, quod è Judæis Lippomanus Disput. advers. Christ. ad Elaiam & XII. Prophetas minores, nobis hic calculum addit §. CCXXIIX. Scriptum est, indue vestes decoris tui, non enim ulterius veniet in te incircumcissus, atq; immundus. Quod ad Messia tempora pertinere ait: & inde probare conatur, quod nondum venerit Messias. Et §. CCXXXVI. Hoc, inquit, in diebus Messia erit.*

Verf. 3.

GRATIS VENUNDATI ESTIS, ET SINE ARGENTO REDIMEMINI.

Mibi, Domino vestro, nullum pretium persolverunt, ne gratiam quidem ullam retulerunt oppressores vestri.

IN ÆGYPTUM DESCENDIT POPULUS MEUS
IN PRINCIPIO.

Idest, jam olim.

UT

UT COLONUS ESSET IBI.

Sponte eò venit. Hoc ideò, ut ostendatur peior esse causa Assyrij.

ET ASSUR ABSQUE ULLA CAUSA CALUMNI-
ATUS EST EUM.

In Ebraeo: oppressit eum: nempe Taglathphalasar, Salmanasar, Sennacheribus; hic etiam violato fœdere.

ET NUNQUID MIHI EST HIC DICIT DOMINUS
QUONIAM, ABLATUS EST POPULUS MEUS
GRATIS?

Pertuli hæc: sed an & hoc feram, ut illi in populum meum dominantur, qui mihi maledicunt? Chaldei scilicet, quorum causa peior, quam Assyriorum. Vid. Jerem. L. 17.

Gratis venundati dicuntur, non respectu DEI, quod ob meritum peccatorum venundati sint, sed respectu hostium, quia nullum pretium dedere hostes, quibus venditi sunt, ut eos sibi vendicarent: gratis, & sine argento redimuntur, quia hostibus, sub quorum potestate sunt, nullum pretium persolvitur, ut redimantur. Quæ explicantur institutione comparatione diversæ venditionis & redemptionis populi. Nam venditi quasi erant in servitutem Ægyptiacam, sed gratis, quia Ægyptij nullo pretio dato acquisiverunt sibi Israelitas. Sed descendit Israel in Ægyptum, ut populus Domini, nullius servus, ut colonus esset ibi, ac sine causâ, quantum ad Ægyptios attinet, ex mero odio, invidia & metu in servitutem ab illis redactus est, ac si iisdem se vendidissent: at gratis vicissim & sine argento ex Ægypto redempti sunt: Assur absq; ullâ causâ calumniatus est, & afflixit eum, quia p̄ vim est per vim & calumnias afflixit & oppressit, quod de Chadao intelligunt nonnulli, cum in captivitatem Babylonicam eos abriperet, quem Assur dici volunt, quia Assyriis æquè ac aliis gentibus dominabatur, & translata in eum fuit Assyriorum Monarchia, sed non videtur congruere hic sensus: non enim absq; causa abduxit Nabuchodonosor populum, sed quod rebellis es-

set Rex Sedekias, & ab ipso deficeret 2. Reg. XXIV. 20. Et de afflictione jam factâ populo sermo est, non de futurâ. Proinde alij hæc adhuc de *Pharaone* intelligunt, quem ab Ezech. XXXI. 3. ASSUR vocari volunt. Quod alioqui imperfecta, hiulea, & pendula foret sententia de Ægypto. Quæ applicatio *Cajetani & Forerii* sese probavit *Cornelio à Lapide*. *Salmanassar* tamen, qui decem tribus abduxit in Assyriam LXX. Interpp. indigitant. ET VIOLENTI ABDUCTI SUNT IN ASSYRIOS. Alii *Sennacheribum*, qui Ezechiaë tempore Judæam populatus est, intelligunt. *Grotius* conjungit *Teglatphelassar, Salmenassar & Sennacherib*, qui non modo sine causa, sed rupto etiam foedere populum aggressus est. Sed Sennacheribo populus venditus non est, etsi Judæam invaserit, nedum cæteris, qui decem tribus abduxere, non verò populum Judaicum, de quo hic sermo: ideoq; præferenda foret illa de *Pharaone* interpretatio, ut expleatur sententia, quod populus Dei in Ægyptum descenderit, ut colonus ibi esset, ne utique verò se vendiderit. *Asfur autem* (Rex Pharaon) absq; ulla causa eundem afflixerit, ac per vim & calumniam oppresserit: Modo probari posset Pharaonem uspiam nomine Asfur designari, quod è loco Ezech. XXXI. 3. vix ostendetur. *Brentius* noster de captivitate *Assyriacâ* 2. Reg. XVII. intelligit. In hac enim non solum vastatum est regnum Samariæ, verum etiam captivi crudelissimè sunt tractati. Unde ait: *Asfur absq; ulla causa calumniatq; est eum*. Etsi enim Israelitæ meriti erant sua impietate hanc captivitatem, & regni vastationem, tamen Assyrii non habebant satis legitimam causam, eum in eos, qui jam ablatione regni sui puniti & in captivitatem abducti erant, immaniter grassarentur. ET NUM QUID MIHI EST HIC DICIT DOMINUS: QUONIAM ABLATUS EST POPULUS MEUS GRATIS. Illud *Grotius* ad captivitatem *Babylonicam* trahit: Sed in eam non absq; causâ & culpâ suâ abducti Judæi sunt. Ad hæc non egit *Propheta* in antecedentibus de captivitate *Babylonica*, quod gratis præsupponit *Grotius*. Ea verò quæ sequuntur docent de temporibus N. T. sermonem esse. Quibus accedit interpretatio SS. in N. T. facta, quæ palam docet, ad servitutem & captivitatem

novis.

ANNOTATA AD ESAIAM

novissimam respici, utpotè cum quâ præconium Apostolorum pacem annuntiantium conjunctum fuit. Deniq; hæc longe gravissima fuit captivitas. Hanc si servitutem & oppresionem in Ægypto, vel etiam Assyriacam contendas, cum Babylonicâ captivitate, hæc certè gravior censenda non erit, nec causa fuerit, cur hic qs. admirabundus exclamet Dominus: **ET NUM QUID MIHI EST HIC!** Comparatio, quam Grotius instituit, nulla est; *Pertuli hæc; Sed an hoc feram, ut illi in populum meum dominentur, qui mihi maledicunt! Chaldaei sc. quorum causa peior, quam Assyriorum.* Id non apparet Jer. L. 17. Chaldaeorum causam peiorem fuisse, imo Chaldaei plus causæ habuere adversos Judæos, quam Assyrii. Et Chaldaei Judæis tamen in captivitate benigniores fuere. Siquidem etiam caput *Jojachim Regis Juda* evexit *Rex Evemerodach, & thronum ejus supra omnium Regum thronos exaltavit, qui in Babel erant Jer. LII. 31. 32.* Et annon etiam maledixere Domino Assyrii, maximè Sennacheribus! Cæterum quinam illi sint, quorum culpa hic nomen Domini blasphemari dicatur habemus certius ex interpretatione Apostolica *Rom II 23.* ubi docemur ad *Pharisæos ac Sacerdotes tempore N. T. & post exhibitum Messiam hæc pertinere* quos ibi ad partes vocat Apostolus, ac de iis scriptum hoc ab Esaiâ esse docet: *vestrè inquit causa nomen DEI blasphematur INTER GENTES* (quod hic addunt LXX. Interpp. & eos sequutus Apostolus) *sicut scriptum est, ideo rectissime hæc explicantur à B. Brentio nostro.* **ET NUNC QUID MIHI EST HIC!** *Meus populus graviter quidem antea ab Ægyptiis & Assyriis afflictus est, graviter etiam post affligetur à Babyloniis: sed vide, quid mihi nunc hoc tempore in populo meo acciderit! Ablatus est populus meus gratis: dominatores ejus iniquè agunt, & nomen meum blasphematur jugiter tota die. Hæc est descriptio ejus captivitatis, in quam abduxerunt populum Israel Scribæ & Pharisei, impiis suis traditionibus, quæ & multo gravior & perniciosior fuit, quam illæ duæ priores.* Postquam enim Israelitæ à reditu è Babylone, & instauratione urbis Hierusalem, degenerarent in mores Gentium, susceperunt Scribæ & Pharisei, qui hic dominatores vocantur, populum

lum docendum, & in avita religione continendum. Quod institutum, ut per se pium videtur, ita illi impiè sunt executi. Non enim docuerunt vere pia de lege Domini, & de promissione Messiae: Sed commenti sunt novas traditiones: prætenu quidem divinæ legis, sed quæ reverà divinam legem aut abrogabant aut obscurabant. His traditionibus intulerunt Ecclesie populi Dei, longe horribilius exitium, & abduxerunt populum Dei in graviolem captivitatem, quam cum abducti sunt antea in Ægyptum, aut Assyriam, aut Babylonem. Nam his captivitatibus spoliati tantum sunt bonis corporalibus & terrenis; in illa autem spoliati sunt bonis cœlestibus & æternis: in his excitati sunt, ad agnitionem peccatorum suorum, ut converterentur ad Dominum, & consequerentur salutem: in illa autem seducti vana opinione proprię justitię, non agnoverunt vere peccata sua, nec veram peccatorum veniam consequerentur. In his manebant ad huc populus & Ecclesia Dei: in illa autem sic abjecti sunt, ut non amplius sint populus Dei, ideoque traditi in æternam damnationem. Quid tali captivitate potest gravius aut dici aut cogitari? Quanto tolerabilius fuit, corpore sub Ægyptiis, aut Assyriis, quam animo sub scribis & Phariseis captivum esse! POPULUS MEUS ABLATUS EST GRATIS. Significat populum Pharisaicis doctrinis & traditionibus abduci, imò auferri, in captivitatem longe omnium calamitiosissimam. Nam ea dicitur Pharisaica doctrina, quæ prætenu divinæ legis instituit novos cultus Dei, & docet, eos Deo ita gratos esse, ut propter ipsos *faveat* cultori, remittat ei peccata, & beneficiat ei in hoc & futuro seculo. Talis autem doctrina, abducit asseclas in perpetuum exitium, Efficit enim, ut nec peccata vere agnoscantur, nec verum officium Christi requiratur, nec vera præcepta & sacra Dei observentur. Ut non & hoc addam, quod Pontifices, scribę & Pharisei excitarunt populum suum ad abjiciendum & damnandum Dominum nostrum Jesum Christum: quo hanc suam doctrinam tuerentur, & populum in obedientia suarum traditionum continerent. Ex quo factum est, quod gens Judaica non tantum sit à Romanis oppressa, verum etiam

etiam à Deo abjecta, ne sit amplius populus Dei. Ne autem scrupulum injiciat, quod Dominus ait: GRATIS ABLATUM esse populum, rectè dubio huic occurrit Brentius: *Hoc vocabulo non respicit ad vulgi merita coram Deo, in hujus enim judicio non injustè puniti sunt Judæi falsâ doctrinâ.* Sed respicit ad officium Scribarum & Phariseorum. Nam cum Judæi naturâ essent peccatores, & haberent legem ac promissiones de Messia, debuissent Pontifices, Scribæ & Pharisei, juxta vocationem ipsorum, auditores suos expositâ lege in agnitionem peccatorum ducere, & promissiones de Christo explicare, ut agnitis peccatis consequerentur peccatorum remissionem per fidem in Christum, & declararent sese obedientia sua erga Deum benefactorem gratos. In hunc enim usum institutum fuit Sacerdotium Leviticum, & officium docendi: in hunc usum conferebantur Sacerdotibus, Levitis, & Doctoribus partes Sacrificiorum, decimæ, primitiæ, & alia stipendia. Sed hi abjecta vera legis, & promissionum de Christo interpretatione, instituebant novos Dei cultus, & docebant Deum horum observatione honorari & peccata meritis eorum expiari. Quod cum fecerint contra suum officium & vocationem, dicuntur populum Dei nihil tale ab ipsis meritum gratis sine ulla legitima causa seduxisse, & in perpetuam captivitatem abduxisse. Quid ergò, num populus est excusatus, & evadit eandem captivitatem! Evadit quidem captivitatem, si per Evangelion ad Christum convertatur, Sed si perseveraverit in Pharisaica doctrina, nullam habet nec excusationem, nec evasionem. Similiter explicat de temporibus N. T. Cyrillus. *Sed nunc quid hic estis? Illud, HIC, dicit, pro, in gentium regionibus dispersi, & ad omnes ventos dissipati, juxta Prophetæ vocem. Expulit enim eos ex omni Judæa Romanorum gladius, quicumq; valuerunt omnino fugere. Vel, HIC, in eo rerum statu, in quo nunc estis. Fuerunt enim, ut dixi, in summis miseriis: partim Romano exercitu, lege belli, eorum Regionem incurstante: partim tota civitate vastata, & templo ipso cremato. Quare igitur, inquit, in his malis versati sunt! An videlicet quod fidem justificantem non admiserint, sed multifariam*

ad hoc vocantem contumelijs affecerint, eiꝫ impie manus intulerint, deinde etiam justis & Prophetis qui missi sunt, quorum alios occiderunt, alios lapidaverunt, Hæc Cyrillus.

VERſ. 5. DOMINATORES EJUS INIQVE AGUNT.

Vocem attollunt. Nam היל"ל, non de ejulatu tantum dicitur, sed & de omni clamore. Factant se, Chaldaeus.

ET JUGITER TOTA DIE NOMEN MEUM BLASPHEMATUR.

Ab illis Chaldaeis. Vid. Dan III. IV. V. VI.

PROPTER HOC SCIET POPVLUS MEVS NOMEN MEVM IN DIE ILLA, QUIA EGO IPSE QUI LOQUEBAR: ECCE ADSUM.

Agnoscent me esse יהוה: id est, re ipsa implentem, quod promisi.

Quod Dominatores hic intelligantur Chaldaei, nullo indicio constat. Scribas, Phariseos, Pontifices Judæorum tempore Christi designari, ea quæ diximus, confirmant, per hos etiam factum, ut miserrimè venderentur Judæi, utpote qui tum traditionibus & corruptelis doctrinæ salvificæ exitium populo afferebant æternum, tum etiam causa erant temporalis excidij. Quem sensum etiam tradidit Hieronymus, cum de causis, cur ista passi sint Judæi, disserit: *ut comprehensi vel viribus Romanorum vel Diaboli laqueis, quibus hucusq; retinentur. Ut autem ista paterentur, dominatores eorum ac Magistri iniquè egerunt: qui juxta Symmachum & Theodotionem ululabunt: juxta Aquilam, flebunt, cum tormentis traditi fuerint. Ipsi enim sunt, qui adversum Salvatorem populum concitarunt, ut consona voce clamarent, Crucifige, crucifige talem; De quibus & ante jam dixerat: Ipse Dominus veniet cum senioribus populi, & cum principibus ejus. Vos autem quare succendistis vineam meam, & rapina pauperis in domibus vestris? Quamobrem juxta LXX. loquitur ad eos: Propter vos semper nomen meum blasphematur in gentibus. Et sciendum quod, in gentibus, non habeatur in Hebræo: sed absolutè, nomen meum jugiter blasphematur, ut subaudiatur, in synagogis vestris, qui diebus ac noct*

noctibus blasphemant Salvatorem. Et sub nomine (ut saepe dixi) Nazarenorum, ter in die in Christianos congerunt maledicta. Illis itaq; blasphemantibus & maledicentibus Domino, populus ejus, de quo crebro jam dictum est, id est, populus Christianus, sciet nomen illius, qui venturus est in nomine Patris. Et propterea sciet, quia ipse, qui prius loquutus est per Prophetas, praesens erudiet populos.

Argumentum ergo novum praebet illa praesentiae Domini promissio; quod haec adventus Messiae tempus concernant: PROPTER QUOD SCIET POPULUS MEUS NOMEN MEUM IN DIE ILLA: QUIA EGO IPSE QUI LOQUEBAR: ECCE ADSUM. Haec enim non tantum impletionem promissionum divinarum, sed *παρουσία* & adventum Domini referunt. Idem nempe Dominus, qui hic loquitur, Filius Dei se adfuturum pollicetur, & nomen suum populum tum clarius cogniturum; qualis cognitio evidentior Novo Testamento propria est. Ideo de Judaeis sui temporis haec intelligit Apostolus Rom. II. 23. *ob quos nomen Domini blasphematum fuit.* Adde quod jungatur vers. sequ. 7. statim Apostolorum praeconium, qui pacem annunciaturi sint; ut populus electus Domini liberetur ab illa dominatorum iniquitate, ac captivitate periculossissima. Consonat hic nobis in Graeca etiam Ecclesia Cyrillus: HÆC DICIT DOMINUS, PROPTER VOS SEMPER NOMEN MEUM MALE AUDIT INTER GENTES. *Fuistis enim, inquit, vos autores, & causa, ut qui subjugati sunt, paterentur, sinentes eos carere institutione, imò non permittentes omninò, ut ad Deum reverterentur, viderentq; animi oculis eum, qui de caelo venit, qui in forma humana Deus verbum apparuit, ut predicaret captivis remissionem, caecisq; visum, sanaretq; contrito corde praeditos, & annum Domini acceptum vocaret.* Itaq; propter vos nomen meum inter gentes male audit. *Cum enim per omnes Regiones & urbes dissipatus esset, inquit, Israel; vastatam esse sanctam civitatem, opusq; & materiam ignis fuisse ipsum Templum, nemo usquam gentium ignoravit: Tum meum nomen convicijs incessunt, & meam elevant gloriam. Siquidem fortassis putant meam manum debilem esse, quae semper fuit auxiliaris Israe-*

li; veram autem causam adhuc ignorant, nec quisquam apud eos
 scivit, eos cædis Dominica, & multorum aliorum delictorum pœ-
 nas soluisse. IDEO SCIET POPULUS MEUS NOMEN ME-
 UM. Illo tempore, quo terræ habitatoribus in carne illucescam,
 quicumq; mei sient populi, admittentq; fidem, sive ex Judæis illi fu-
 erint, sive ex gentibus, hi scient nomen meum. Nomen verò
 dicit pro gloria. Sic enim loqui familiare est Scripturæ divinitus
 inspiratæ. Ipse enim, qui in Prophetis loquebar, adsum. Hæc Cyrillus.
 Urget etiam S. Hieronym. v. 13. ECCE INTELLIGET &c. Ne ulla
 legentibus ambiguitas relinquatur, quis sit ille, qui dixerit: Ego qui
 loquebar, ecce adsum. Et quod sit brachium sanctum Domini, quod
 cunctis gentibus revelatum est, Deus omnipotens Pater perspicue
 docet: Ecce intelliget servus meus, sive puer meus. De quo postea.
 De voce וִוְוְו peculiariter observandum, non esse cau-
 sam, cur relicta vocis propriâ significatione, quæ ULULARE
 notat, uti à LXX. Interpp. expressa est, de solâ jaçtancia, vel vo-
 cis elatione accipiatur. Ululabant autem Pharisei & Pontifices
 Judæorum, quasi lupi famelici prædæ populi inhiantes, vel u-
 lulare faciebant populum, quem opprimebant, ut è Vatablo &
 Forerio explicat Cornel. à Lapide. Ideoq; hæc ita παραφρασεις
 Osiander, Brentium sequutus: DOMINATORESEJUS (po-
 puli mei) INIQUE AGUNT [Hebr. ULULARE FACIUNT]
 DICIT DOMINUS: id est, Doctores Ecclesiæ, qui debebant
 docere plebem sanam salutarem doctrinam, quâ conscien-
 tiæ pacificarentur & lætificarentur, ipsi Dominium [pro mini-
 sterio] arripiunt, & talem doctrinam proponunt, quæ non nisi
 ejulatum efficit, h. e. quæ conscientias affligit & excruciat. ET
 JUGITER TOTA DIE NOMEN MEUM BLASPHEMA-
 TUR, inquit Dominus, per Phariseorum & Scribarum doctrinam.
 PROPTER HOC (inquit Filius Dei) miserebor Ecclesiæ meæ
 oppressæ, & concionabor illi Evangelion, ET SCIET POPU-
 LUS MEUS NOMEN MEUM IN DIE ILLA, id est, tunc a-
 gnoscet me Ecclesia mea Salvatorem, & Mediatorem suum:
 QVIA EGO IPSE QVI LOQVEBAR (rectiq; qui loquor) ECCE
 ADSUM, id est, Ego ipse in carne mea assumpta prædicabo E-
 van-

vangelium. Præiverat & B. Lutherus in versione Germanica & glossa marginali, seine Herscher machen ein geheule / ihre Lehre ist ein geheule / und machen die Gewissen mit Gesetzen schwer / und henlent. Adde & ea, quæ hic habentur in Latinâ enarrat: Rabbini ipsi hæc, *Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ecce adsum*, de Messia adventuro intelligunt, qui ostendet Salvationem suam, juxta Es. XLV. 17. *Israel salvatus est in Domino salvatione aternâ* in Midrasch Tillim, sup. Ps. XCI. 14.

Verf. 7.

QVAM PULCHRI SVPER MONTES PEDES AN-
NVNTIANTIS ET PRÆDICANTIS PACEM.

*Quam pulchrum erit ministerium Jeremia, qui
d. finiet ipsum tempus, quo Sion rursus habitata florebit.*

VOX SPECVLATORUM TVORVM: LEVAVE-
RVNT VOCEM, SIMVL LAVDABVNT.

*Dicetis, quando Levitæ rursus in Templo cantaturi sint
laudes Dei.*

CVM CONVERTERIT DOMINVS SION.

Cum populum in Sionem reverti fecerit.

Pessima detorsio loci illustris. Grotius nullum Evangelium in Vet. Test. nisi carnale sapit; nihil hic nisi liberationem corporalem crepat. Ideò Jeremiam Prophetam ingerit, de quo nec vola, nec vestigium in textu deprehenditur. Id verò facit sine pessimo, ut nempe cum Judæis sequens caput, quod illustre vaticinium de Christi passione & exaltatione continet, quale vix ullum aliud in toto V. T. est, ad Jeremiam detorqueat. At non posse hunc locum de *Jeremiâ* intelligi, sed de Apostolis, aliisq; præconibus sub N. T. accipiendum esse, primùm è *συνεχία* cum præcedentibus, quibus dominatus Phariseorum exitiosissimus, & advento Christi gratiosissimus, ut redimerentur gratis, & sine argento ab isto animæ exitio, descriptus est, liquet. De quo Sebastianus Munsterus summam cohærentiæ præcedentium, & præsentium ita exhibuit, una cum nugis Rabbimicis. NON AD-
JICIET UT AMPLIUS IN TE VENIAT INCIRCUMCISUS.

Yyyy 3

He-

*Hebraei, inquit, haec omnia intelligunt de redemptione, quam frustra expectant per Messiam fiendam: & per incircumcisum intelligunt regnum Aedom, hoc est, Romanorum, & per im-mundum, regnum Ismael, i.e. regnum Turcae & Soldani. No- stri verò intelligunt de redemptione Christi Synagoge promissa & jam exhibita: quasi dicat Deus: toties es capta & redempta, & deinde iterum vastata, institutam aliquando redemptionem, quæ sit æterna, & quam nulla alia sequatur captivitas. Et ea redemptio est spiritualis, qua Christus in cruce nos gratis li- beravit à peccatis, morte perpetua, & inferno, nullis nostris præcedentibus meritis. Quid mihi hîc est! Est, inquit, popu- lus meus in alia captivitate, graviore ea quæ fuit in Ægypto, aut apud Assyrios: Nam qui illis præsumunt, pro arbitrio suo, & non juxta verbum meum dominantur illis, ducunt eos in errores, faciunt eos ululare & blasphemare nomen meum tota die. Cu- rabo igitur ego Dominus, ut populus meus me agnoscat, & me loquentem audiat. Mittam evangelistas, qui annuncient pa- cem & salutem, atq; omne bonum non privatis hominibus, sed in montes pulcherrimis suis pedibus ascendent, & toti mun- do prædicabunt gratiam Dei & evangelium Christi, & quod deinceps Deus in nobis regnaturus sit verbo suo, & non Mo- ses ceremonijs suis. Hæc ille. Audiamus hic Brentium no- strum. *Rejecit, inquit, & damnavit Filius Dei Doctores Pharisæ- icæ doctrine & humanarum traditionum. Quid ergò? Num Ec- clesia eorum piorum, qui temporibus Pharisæorum & adventus Christi, reliqui adhuc sunt inter Judæos, destituentur prorsus omni- bus Doctores, & omni ministerio concionum? Nihil certe minus. Promittit enim Christus Filius Dei Ecclesie suæ alios pro Pharisæis Doctores. Primum promittit, se ipsum fore eorum Doctorem: Deinde promittit se missurum eis Apostolos suos, qui veram pacem, veram salutem adnuntient. Hæc Brentius. Deinde quid ad fi- deles sub ista pressura liberatio merè corporalis, neglecta spiri- tuali, ut tanto apparatu verborum, tam magnifice describere- tur? QVAM PULCHRI (vel potiùs amabiles) SUPER MON- TES PEDES ANNUNCIANTIS (rectius evangelizantis)**

PRÆ-

PRÆDICANTIS PACEM, ANNUNCIANTIS BONUM,
 PRÆDICANTIS SALVTEM, DICENTIS SION, REGNA-
 VIT DEVS. Singula verba ita comparata sunt, ut bona spi-
 ritualia ab Apostolis annuncianda, non a liberationem cor-
 poralem à Jeremia prædicendam inferant. *Super montes* di-
 cuntur annunciare, h. e. *non in Chaldaea, sed in Judæa.* Pulchre
 Brentius: *quod dicit PEDES SVPER MONTES, respicit situm*
urbis Hierusalem, quæ cincta est montibus. Sicut dicit Psalm. 124.
Hierusalem, montes in circuitu ejus. Cum igitur Spiritus S. in
Propheta videt Apostolos è Galilæa, per montana ad urbem Hieru-
salem properare, ut accepto ibi Spiritu S. divulgent Evangelion,
non in Hierusalem tantum, sed etiam in totum orbem terra, ex-
clamat præingenti gaudio: Quam speciosi, inquit, quam gra-
ti, quam accepti, quam jucundi sunt pedes, seu legati pede-
stres, quos video ad nostram urbem per montes in circuitu
positos proficisci, ut afferant nobis nuncium expectatissimum.
 Porrò verbum EVANGELIZANTIS rectius sine dubio con-
 venit *Apostolis Evangelium annunciantibus, quam Jeremia li-*
berationem è Babylone prædicenti. Et de læto nuncio gratiæ
spiritualis adhibetur in hoc ipso Propheta c. LXI. 1. Pacis autem
prædicatio quid nisi summam exhibet Evangelij, quum nec
 Christus aliud, quam pacem *Apostolis, nec Apostoli aliud Ec-*
clesiis in literis suis præcati fuerint! Pace fruebatur etiam in
Chaldæa populus Domini, non enim in bello, sed sub servitute
erat. Hic verò Evangelica pax intimatur, quæ est reconciliatio
Dei & hominis. Annunciatur BONUM, quo majus nullum est.
Prædicatur salus vera & æterna. Dicitur Sioni spirituali: REGNAT
DEUS TUUS. Nullum lætius nuncium, quam quod Christus Im-
manuel Deus nobiscum, Deus noster sedens ad dextram Patris
gubernat Ecclesiam, quam sanguine suo redemit. De quibus
videatur prolixius B. Brentius. Porrò, ne ambigamus, E-
vangelicos nuncios & Apostolos intelligi, eandem promiss-
ionem DEUS isdem verbis repetiit per Nahum cap. I.
 ECCE SUPER MONTES PEDES EVANGELIZANTIS ET ANNUN-
 CIANTIS PACEM; ubi additur *celebsma ad solemnia fa-*
 CIA

cra, & spirituales festivitates; celebra *Juda festivitates tuas, & redde vota tua.* Sed imprimis habemus interpretationem sole clariorem in N. T. Quum S. Paulus hoc vaticinium Rom. X. 15. de Apostolis & reliquis Evangelicis nunciis N. T. interpretetur. *Omnis enim, inquit, quicumque invocaverit nomen ejus (Christi) salvus erit. Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine predicante! Quomodo autem predicabunt, si non mittantur! sicut scriptum est: Quam speciosi pedes Evangelizantium bona!* Sed non omnes credunt Evangelio. Unde patet de Evangelio de Christo, cujus fide salutem consequimur, intelligendum esse dictum Propheticum, deq; præconio non Jeremiæ annunciantis liberationem à Babylonica captivitate, sed ministerij Evangelici annunciantis pacem per Christum partam & salutem æternam. Et per ANNUNCIANTEM intelligendum esse quemcumq; Evangelizantē, non autem individuum quoddam, aut personam singularem. Ac ne dubitemus nos ad Esaiam remitti, ac præsentem ejus locum respici, subjungitur Rom. X. 16. querela, de non suscepta voce Evangelij per fidem ex hoc ipso vaticinio esaiano: *Esaias enim dicit: Domine quis credit auditui nostro? Ne ambigamus de auditu & verbo Evangelij, atq; fide in Christum agi, addit Apostolus συμπερασμα ejusmodi: Ergo fides ex auditu, auditus autem per VERBUM CHRISTI.* Ne deniq; hæreamus, Apostolorum præconium designatum esse, en διαφρήδην id indigitat, declarans, quales hic præcones respexerit Propheta. *Sed dico: Nunquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terra verba eorum.* Quorum, nisi Apostolorum? Non certè Jeremiæ. Quale præconium œcumenicum, & universale hic etiam ab ipso Esaiâ prædictum est: **PARAVIT DOMINVS BRACHIVM SANCTVM SVVM IN OCVLIS OMNIVM GENTIVM. ET VIDEVNT OMNES FINES TERRÆ SALVTARE DEI NOSTRI,** qd non revelabitur id tantum Judæis, sed etiam gentibus per totum orbem, ut ad fines usq; terra annuncietur Evangelium, vel verbum Christi, quod ipse sit **SALVTARE DOMINI,**
 vel

vel SALVATOR divinitus missus omnibus in se credentibus, sive à Judeis, sive à gentibus originem ducant. Quæ omnia vidit sine dubio GROTIUS, ideò in *Annotat. ad Rom. X. 15.* agnovit hæc ex *Esaiano* hoc oraculo deprompta esse ab *Apostolo*, neq; diffiteri potuit *de Christo* eadem intelligenda esse, imò *Judeos ipsos id credere* professus est, sed ad consuetum suum *κρησιν* *ὄψιν* se recepit, quod nempe *tantum secundum sensum mysticum de Messia* agant, at quoad *literalem sensum*, quem *primum* vocat, de *Jeremia* loquantur, sed sensus istius *literalis*, quem assignat ipse, nullum indicium est in *textu Prophetico*, imò omnia contrarium loquuntur, uti hæctenus ostensum. Nec *Judei*, qui de *Christo* sermonem esse dicunt, quoad *literalem sensum* de *Jeremia* intelligunt, sed *literalem illum sensum esse* ajunt de *Christo*. Neq; *Apostolus* ex *sensu mystico* h. e. quæ præter *literalem à S. S.* intentus fuerit, uspiam probavit fidem. Imo nuspiam in *Scripturis* præter *literalem sensum* alius reperitur à *S. S.* intentus. Vanum ergò est, quod ait, *SENSU PRIORE hæc dici de Jeremia* [quia nunquam talis sensus probabitur] *ita tamen ut etiam VETERES JUDÆI intellexerint, hæc EMI-NENTIUS convenire in tempora Messia.* Si de *Messia* temporibus ex *intentione S. S.* dicta sunt, de præconio *Evangelij*, & *pacis* per *Christum* partæ, quod habemus ex *interpretatione Apostolica*, nec diffitentur *Veteres Judæi*, non possunt hæc dicta esse *sensu gemino*, & ex *intentione S. S.* de temporibus *Jeremie*, & *annunciatione liberationis* è *captivitate Babylonica*.

Porrò ne dubium ullum superesset, de *pluribus Evangelisantis* sermonem esse, deq; præconio longè lateq; propagando, additur in *Propheta nostro*: *VOX SPECULATORUM TUTORUM* (eorum sc. qui pro salute *Sionis* excubias agunt *Ezech. III. Ebr XIII. audietur*) *LEVAVERUNT* (rectius, *levabunt*. *VOCEM* (suam) *SIMUL LAUDABUNT* (rectius *jubilabunt*) *QVIA OCULO AD OCULUM VIDEBUNT CUM CONVERTERIT DOMINUS SION.* Non musitabunt, ut rectè *Brētius*, sicut *ἑγγασίμοιοι*, aut *vates Ethnorum*, è *spelæis* suis mus-

litant: nec susurrabunt vel in angulis domorum, vel in latebris sylvarum ac montium cum paucis arbitris: quod facere solent seditiosi & alii, qui vel instituti feditate, vel sceleris immanitate lucem fugiunt: Sed attollent vocem suam tam alte, ut exaudiatur ab urbe Hierusalem, usque ad extremos fines terræ. In omnem n. terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Nec hoc solum, verum etiam *simul laudabunt, pariter jubilabunt*. Non tantum docebunt Evangelion Christi in orbe terrarum, initio facto in Hierusalem, sed etiam docebunt idem omnes Evangelion summa concordia. Una erit omnium laudatio, una jubilatio de rebus per Christum Regem Zion gestis. Nam *oculo ad oculum videbitur*, palam coram omnibus manifestabitur, tum doctrina, tum miraculis, quod *Dominus converterit* seu *reduxerit Sion*, h. e. quod *Christus Dominus noster redemerit Ecclesiam suam à tyrannide Satane, à peccatis, à morte & inferno*. Concludit exhortatione ad lætitiæ publicæ & œcumenicæ Prophetæ. GAUDETE ET LAUDATE (jubilate) SIMUL DESERTA JERUSALEM: QUIA CONSOLATUS EST DOMINUS POPULUM SUUM. Quæ consolatio quænam alia est, quam ea, quam toties inculcant Prophetæ, & noster c. XL. 1. *Consolamini, consolamini, &c.* Gaudete igitur & exultate, non tantum ea loca, quæ intra mœnia urbis Hierusalem continentur, sed etiam deserta & solitudines circa Hierusalem: quod tanta nunc erit civium multitudo ut pomeria urbis usque ad deserta proferantur, & ex eremo fiat frequentissima civitas. Dominus enim ipse, non per servos suos Prophetas, ut olim, sed sua ipsius persona coram consolatur populum suum, adnunciat populo Evangelion suum, & redimit Hierusalem ab omnibus iniquitatibus suis, à potestate Satane & mortis. REDEMIT (*יְרֵד* quod proprium est Filij Dei) JERUSALEM. Quod antea dixerat Dominus GRATIS VENUNDATI ESTIS, GRATIS REDIMEMINI, hoc nunc factum esse, postquam Salus à Domino parta annunciata est per Apostolos orbi, gloriantur & gaudent fideles; REDEMIT JERUSALEM. Neque enim tantum gaudium, quod tantum cum jubilatione conjunctum, & quod se porrigat ad extremos terræ fines

fines, è liberatione corporali sed & spirituali Messie redemptione per vangeliū divulgatā concipitur. PARAVIT (in Ebr. *denudavit*, quod alij de expeditione ad pugnam contra hostes spirituales Diabolum, peccatum, & mortem, alij rectius de *manifestatione Christi* explicant) DOMINUS (Deus Pater) BRACHIUM SANCTUM SUUM IN OCULIS OMNIUM GENTIUM. Quodnam illud *brachium sanctum Domini* sit, in oculis omnium gentium denudatum, seu manifestatum, *ἐπεξήγησις* subjuncta, vel finis istius manifestationis docet: ET VIDEBUNT OMNES FINES TERRÆ SALUTARE DEI NOSTRI. Quapropter idem sunt BRACHIUM SANCTUM DOMINI, & SALUTARE DEI NOSTRI: Adeoq; quum hoc posteriori nomine describi soleat Christus, idem etiam per *brachium Domini* intelligitur. Quem etiam ita designavit Propheta cap. seq. v. 2. Et BRACHIUM DOMINI cui revelatum est. Perspicuum ergo ex his esse Hieronymus censet, *extractā per Apostolos spirituali Jerusalem, id est, Ecclesia, quæ à Judæis fuerat derelicta, revelari brachium Domini cunctis gentibus & videre salutare ejus omnes fines terra.* Quod dupliciter, ut porro monet Hieronymus, intelligitur, aut enim revelat Pater brachium suum cunctis gentibus, aut Filius revelat fortitudinem suam, de quo scriptum est: Virtus enim ab eo egrediebatur, & sanabat omnes. Et iterum, sensi virtutem exisse de me, quæ sanavit hæmorrhousam. Quod autem Filius Dei Patris dextera appelletur & brachium, multa sunt testimonia, è quibus pauca dicemus: Salvabit sibi dextera ejus, & brachium sanctum illius. Et alibi: In brachio meo gentes sperabunt. De quo & Jacob dicit. Hic erit expectatio gentium. Et 88. Psalmus: Tuum brachium cum potentia. Hoc brachio eduxit Dominus populum Israel de terra Ægypti. Quod autem cunctis gentibus omnes terre terminos copulavit, qui visuri sunt salutare Dei, illud ostendit, quod & in alio loco dicitur: Convertimini ad me ab extremis terræ, & salvi eritis. Et per Hieremiam; Ad te gentes venient ab extremis terræ. Et iterum; Recordabuntur & convertentur ad Dominum omnes fines terræ. Et adorabunt in conspectu ejus omnes familiæ gentium, quia Domini est regnum,

& ipse dominabitur gentibus: *ut non solum varietas gentium singularum, sed & omnes mundi cardines credituri prænuncientur in Christo.* Quid quod Rabbini ipsi vocem hanc evangelizantis ad Messiaë tempora referant; R. Chaja & alij. Videatur Midras Schir Haschirim Cantic. II. 10.

Vers. 11. RECEDITE RECEDITE, EXITE INDE;

Chaldaus: separamini: id est, cavete vobis ab omni immunditie legali, & si quam contraxistis, eam eluite secundum legem: omnia accurate agite, cum exhibitis. Satis erit temporis: nec quisquam vobis obstabit.

QVI GERITIS VASA DOMINI.

Vos Saffabasar & ejus comites. Esdra 1. 8. 9. 10. 11.

Glossam hanc merè Judaicam, ex ijs, quæ dicta sunt, facile est refellere: solum quomodo ea in Judæis ab Hieronymo profligata sit, videbimus. *Et hoc Judæi, inquit, sic differere conantur: exite de Babylone, & idola illorum derelinquite. Exite de medio illius, & vasa, quæ Nabuchodonosor capta Hierusalem tulerat, Cyro laxante captivos sub Zorobabel & Esdra referte in templum, nec sicut prius de Ægypto cum tumultu & timore fugistis, ita egredimini de Babylone, sed cum pace & voluntate Regis Persarum atq; Medorum, in quo Domini voluntas apparuit, qui protexit & congregavit vos. Alij qua de Babylone diximus, de Romano Regno interpretantur, quod in adventu Christi, qui eos liberaturus sit, hæc omnia compleantur. Nos autem audientes supra: Quam pulchri super montes pedes annunciantis, & prædicantis pacem? Et: Revelabit Dominus brachium suum in conspectu omnium gentium, & videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri: nequaquam hoc de Judæis, sed de Apostolorum omniumq; Sanctorum intelligimus choro. Quibus præcipitur, ut recedant de Hierusalem, & in toto mundo Evangelium prædicent, dicente Domino Salvatore: Ite & docete omnes gentes: baptizantes eas in nomine Patris, Filij & Spiritus S. ut nequaquam cum Judæis blasphemantibus maneant, in quorum necem Romanus paretur exercitus, sed pollutos derelinquant, & separentur ab eis, atq; mundentur, qui portant vasa Do-*

Do-

CAPVT LII.

Domini: Templum etiam sunt Spiritus S. & magna domus vasa aurea & argentea. Qualis fuit Apostolus Paulus, qui vas electionis dicitur, preparaverat etiam se in vas pretiosum & aptum in ministerium Dei. Vel certè hoc dicendum, quod vasa Domini, armatura Dei sit spiritualis. De qua & Paulus Apostolus loquebatur: Induite vos armatura Dei, & per singula enumerat: Lorricam justitiæ, & clypeum fidei, & galeam salutis, & gladium Spiritus, qui interpretatur verbum Dei. Adhæc addit, cingulum veritatis, & calceatos pedes in præparatione evangelij pacis. Et in alio loco: Deponentes ergò opera tenebrarum induamur arma lucis. Ita non discussit tantum commentum Judæorum, sed sensum etiam verborum Prophetæ expedit S. Hieronymus. Quæ de Apostolis, omniumq; Sanctorum choro intellexit: Nam & Sanctis cæteris hæc convenire docet Apostolus 2. Cor. VI. Quem locum B. Brentius ita cum hoc nostro contulit, ut ambiguum ex interpretatione Apostolica minimè sit, hæc non pertinere ad Levitas, vel ad Sassafrasem, ejusq; comites, neq; concernere sive pollutionem, sive mundationem Leviticam, sed sanctificationem fidelibus omnibus injunctam. Opera pretium erit verba ejus adducere. Sed quam sententiam habeat ista exhortatio, & quo respiciat, exponit optimus Scripture Interpres, Divus Paulus, qui ad Corinthios scribens, hac exhortatione utitur. Ne ducatis, inquiens, jugum cum incredulis. Quod enim consortium justitiæ cum injustitia? aut quæ communio luci cum tenebris: &c. Et mox: Quapropter exite de medio illorum, & separamini ab illis, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis. Vides, Paulum hanc cohortationem non solum ex Esaiâ in Epistolam suam transcripsisse, verum etiam interpretatum esse. Hortatur enim Filius Dei pios, qui credunt Apostolicæ prædicationi, ut, cum redemerit ipsos à peccatis, & effecerit, quod amplius nulli incircumciso aut immundo sit locus in populo suo, non ducant jugum cum incircumcisis & immundis: hoc est, cum incredulis, sicut Paulus interpretatur: Discedite, inquit, discedite. Non concedo vobis aliquam discedendi moram, aut remissionem, sed jubeo vos statim discedere, & urgeo iterum atq; i-

ANNOTATA AD SAIAM

eerum: Discedite, discedite, & abite inde. Unde. De medio incredulorum, de medio pravę nationis. Et ne vos contaminemini, jubeo vos, contaminatum seu pollutum ne tangere quidem. Exite igitur cito ab impijs, ut vos, qui fertis vasa Domini sitis mundi & puri ab omnibus sordibus impiorum. Hic autem exitus longe aliam habet rationem, quam exitus ille ex Ægypto. Tunc enim Israelitę necesse habebant corporaliter deserere Ægyptum, & festinanter exire, & quodammodo fugere. Urgebant enim, inquit Scriptura, Ægyptij populum Israel de terra exire velociter. Et iterum: Farina non poterat fermentari, cogentibus exire Ægyptijs, & nullam facere sinentibus moram &c. Nunc autem non exigo corporalem exitum de terra impiorum. Quo enim abeundum vobis esset, si in nulla impiorum terra commorari vobis liceret? Sed volo exitum spiritualem, videlicet, ne commisceamini, sicut Paulus exponit. Si quis, cum frater appelletur, fuerit scortator, aut avarus, aut simulacrorum cultor, aut convitiator, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi ne cibum quidem capiat &c. In exitu ex Ægypto, precedebat Moses, & cogebant seu colligebant agmina Israelitarum duces à Mose ordinati. In hoc autem spirituali exitu, non precedit Moses quispiam legislator, aut externus Princeps, sed precedit & cogit agmen Ecclesie, Dominus ipse, Deus Israelis, h. e. Dominus noster Jesus Christus. Ego, inquit, vobiscum sum, omnibus diebus, usq; ad consummationem seculi. Et, iterum veniam, & assumam vos ad meipsum, ut ubi ego sum, illic & vos sitis. Addo & interpretationem S. Cyrilli οὐδὲν Φορ. Videtur hac Oratio habita esse à Deo, vel ad eos qui per fidem congregati sunt, & Ecclesie filij nuncupati sunt: vel ad Sanctos mystagogas, nimirum Apostolos & Evangelistas, qui universe sub cęli complexu terre lux extiterunt, Evangelicę predicationis verbum ad omnes terre incolas velut legati portantes. Hos jubet recedere, & ab infidelibus abire, tanquam ab inquinatis, eo quod noluerint Christo credere, imò & sua ipsorum capita Dominicę cedis crimine implicaverint. Exite ergo, immundum ne tangite, id est, à communionem cum illis segregamini, ut eorum nihil contingatis. Qui enim tangit picem, inquit, inquinabitur. Est enim necesse, ut, qui in Christum

stum

CAPUT LII.

stum crediderunt, & per ipsum vocati sunt ad emundationem peccati, & ad participationem sanctificationis, procul absint ab inscitia Judaica, & diversa prorsus ab illis sint sententia, omninoq; separantur. Nulla enim communicatio luci cum tenebris, nec pars fidei cum infidei. Nam qui solida fide Emanuelem coluerunt, & divina ipsi natura participes facti sunt, eo quod consortes sint sancti Spiritus, sanctisq; ejus donis repleti, vasa portant Deo. Verum cum exire de medio ejus precipiat, ait: non exhibitis cum tumultu: neq; fuga ibitis. Nec enim quasi fugientes & timentes ab ordine Judaico recedere precipit, sed quiete potius, & quasi auctoritate praeditos, velut detrectantes cum his adeo inquinatis versari, & cum prophanis ac improbis connumerari. Haecenus Cyrillus. Agnoscunt etiam Pontificij Interpp. & inter hos illi quoq; qui geminum sensum, literalem & mysticum versibus prioribus allinere conati sunt, hic unice de spiritualibus sermonem esse, etsi alludi velint ad Levitas vasa portantes, eosq; qui à Babylone eadem asportaturi erant, in quo nos contradicentes non habent, si nuda scilicet allusio statuatur, non geminus introducatur sensus. Etsi eo alludat, inquit Cornelius, tamen hic non figit suam acum, mentis inquam aciem, suaq; sensa Prophetæ. A versu enim 6. & deinceps non agit de Babylone, sed de Jerusalem, & Ecclesia. Sensus ergo est, q. d. Ego dixi, quod videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. Quocirca ô Apostoli, ut per vos hoc impleatur, utq; id ipsum evangelizetis omnibus gentibus, recedite & exite de infidei, polluta & blasphema Jerusalem, mox à Romanis vastanda. Ite & prædicate per totum orbem, qui fertis vasa Domini, i. e. qui quasi mystagogi sacram Scripturam & S. Sacramenta tractatis, & ministratis: quare & vos ipsi estote puri & sancti, ut sanctè sancta tractetis. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Haymo, Procopius, Adamus, & Tertull. lib. 3. contra Marcion. c. 22. Quocirca apte hunc locum citat Apostolus 2. Corinth. 6. 17. ex eoq; probat, jubetq; ut fideles nimia infidelium commercia, uti sunt connubia, vitent. Similiter verbis illis POLLUTUM NOLITE TANGERE alludi ait Cornelius ad legem veteram, ex qua, qui tangebatur immunda, ut condavera, menstrua, carnem à feris laniatam & c. censebatur immundus, debebatq; purifi-

CARA

cari, quæ omnia immunditiem peccati significabant: quam hic intelligit Propheta: Unde ait, mundamini & recedite. Deniq; verbis QUONIAM NON IN TUMULTU EXIBITIS, alludi censet Jesuita ad Ebraeos ex Ægypto exeuntes, qui urgentibus Ægyptijs ob cadem primogenitorum trepidè, præpropere, & tumultuariè, quasi fugientes exierunt, ita ut non haberent tempus fermentandi massam farinae, ex quâ cocturi erant panes. Atq; ex adverso ALLUDI ad Ebraeos Babylone exeuntes; illi enim favente, imò jubente Cyro, placide sensim & commode se ad egressum compararunt, habueruntq; spatium purificandi se, & Levitas, si qui immundum quid tetigissent. Alludi, inquam, eo admittit Cornelius, quem alij sequuntur. Imo Thomam & Hugonem, qui hunc sensum literalem esse putant, quem Grotius assignavit, refellit. Verius, inquit, est, ad eum tantum alludi. Sensus enim literalis est de Apostolis. q. d. dixi, ô Apostoli, exite ex impia Hierusalem, ite ad gentes, sed prius mundamini, quia habebitis otium vos mundandi, & sanctè vos aptandi ad tam sanctum munus predicationis. Nam non exhibitis tumultuariè, quasi victi aut fugientes & timidi, uti Judei ex Ægypto, sed quasi victores alacres & impavidi, utpote qui Judeorum minas aut plagas superaveritis & riferitis, ut patet Act. 4. 5. seqq. Rationem subdit, quia Deus erit Dux vester, præcedet vos Dominus, vosq; proteget & diriget.

EXIMIO ET PRÆSTANTISSIMO

DN. M. HENTZSCHELIO,

WITTEBERG.

RESPONDENTI

Amico dilecto

ARdua de CHRISTO tractas oracula, Magnus
Sic Verbo GROTIUS vincitur, Ense Dei,
Gratulor insignes ausus, FELICITER opto
Prælia succedant, commoda mille ferant.

ABRAHAM CALOVIUS, D.

Quisq; suum tractat studium: Te Litera Sacra
Detinet, atq; pio pectus amore feait.
Sectarum causas celsò de ponte cathedræ
Expendis studiò judicij; fide.
aris applaudo factis. Tua nomina molli
Musarum intexit diva Minerva peplò.

*Clariss. Dn. Respondenti
L. M. Q. appon.*

Joh. Andreas Qvenstedt
D. P. P.

Milles, ut ex variis conflictibus ardua quærit,
Sibi pollicens Victoriam:
Sic studiosa cohors vario tentamine fructus
Amplos laboris expetit.
NSCHELIUS variis conflictibus usq; probatus,
Sperat Decus Victorix.
OTIA nunc secat, & Divina Volumina servat.
Hæc prima laus Victorix!

*Clariss. Dn. Respond.
amoris causa scrib.*

Johannes Deutschmann / D.
& P. P.

Princi

PRincipium *Witeberga* dedit, *Philyrea* polivit,
Argentina auxit; quod Tibi restat adhuc,
Officium, Deus ipse dabit; sic conprecor ergo
Mille brevi studiis prospera fata tuis.

GEORG. CASP. KIRCHMAJER
Eloqv. P. P.

Non satis est, mutis usq; insenuisse libellis,
Rerumq; ingentes evoluisse tomos.
Efferri liquidas debet doctrina sub auras,
Pridemq; aggestas promere oportet opes.
Quod facis, HENTSCHELI, qui sæpius antè probat
Ingenij rursum protrahis omne decus.
Laus precium est talis non extinguenda laboris,
Gloriaq; excelsò conciliata jugò.
Hanc Tibi nunc grator, simul & majora supremò
A JOVA, solus qui tenet omne, precor.

M. Balthasar Stolbergius
Mittvveyd. Misn.

AJER

S.
probat

is,

mô

r.

ergius


fn.

06 A 1002

ULB Halle


3

004 544 579



1077





I. N. 7. 33
HUGO GROTIUS

AD ESAIÆ XLVI. XLVII. XLIX. XLIX. L. LI. LII. CAPP.

ELENCHOMENOS,
DISPUTATIONI PUBLICÆ,
Quæ in Collegio Anti-Grotiano Qvinto
Disputatio XII.

publicè Expositus,

**P R Æ S I D E
V I R O**

Perl

Maximè Reverendo, Magnifico, Amplissimo & Excellentissimo,

DN. ABRAHAMO CALOVIO,

S. S. Theol. Doct. Ejusdemq; Professore Publ. Primario
longè Celeberrimo, Ecclesiæ Witteb. Pastore, Electoratus Saxo-
nici Superintendente Generali Vigilantissimo, & Con-
sistorij Ecclesiastici Assessore gravissimo,

Dno. Præceptore, Patrono & Promotore suo
omni observantiæ cultu æternùm
venerando,

RESPONDENTE

M. MICHAELE HENTZSCHELIO,

Witteberg. Saxone.

In Auditorio Majori

Ad diem 28. Augusti, horis antemeridianis.

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS BORCKARDI

Anno M DC LXII.